D. 86

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

MEDICINÆ VTILITATE IN IVRISPRVDENTIA

QVAM

CONSENSV GRATIOSI COLLEGII MEDICI

PRÆSIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. THEORIÆ CHIRVRG. ET BOTAN. P.P.O.
ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS. NEC NON REGIÆ
BEROLIN. COLLEG. FAMIGERATISSIMO
H. T. DECANO

PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SVO

ÆTERNA PIETATE COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

DEFENDET

IOHANNES MARTINVS STARCK

MOENO-FRANCOFVRTENSIS

DIE XII IVNII AN. MDCCXXX. Dr. R. Kültner.

HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

HELMAESTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

l. for.

med. for. 6

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40153516_0115

Lane Medical Library

VIRO
SVMME REVERENDO
M. IOH. BALTHASARI STARCKIO
ECCLESIÆ TEVTONICÆ ET GALLICÆ
APVD FRANCOFVRTENSES AD MOENVM
ANTISTITI VIGILANTISSIMO AC
MERITISSIMO
VT ET
COLLEGII ECCLESIASTICI QVOD CONSISTORIVM
VOCANT ASSESSORI AC MEMBRO
DIGNISSIMO
PARENTI VENERANDO OPTIMO
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
AMORIS ET OBSERVANTIÆ TESTIMONIVM
D. D. D.
FILIVS OBEDIENTISSIMVS
IOHANNES MARTINVS STARCK.

VIR SVMME REVERENDE

PARENS VENERANDE OPTIME

EQuidem diu mecum cogitavi, cui diſſertationem hanc merito inſcriberem; invenire tamen neminem potui, cui maiori iure id deberetur, quam Tibi, Parens Chariſſime. Siquidem quoad longiſſime reſpicere mens mea poteſt, Te video mihi auctorem ad ingrediendam ſtudiorum rationem extitiſſe. Tua effecit libera-

litas,

litas, ut in cœpto ſtadio feliciter ac ſine remora progrederer, cum tantum ſemper opis mihi attuleris, quantum res, tempus, locusque poſtulare videbantur. Tuis nunc denique fit auſpiciis, ut ad optatum finem curſum meum perducere queam. Verbo: tanta in me fuiſti benevolentia, ut dubius hæream, utrum Te Patrem magis, an evergetam venerer. Ingratus proinde, quin imo impius eſſem, ni Tibi, Pater Honoratiſſime, cui poſt Deum, & fortunam, & me ipſum debeo, publicum quoddam grati animi teſtimonium redderem. Hinc ea, qua poſſum contentione, rogo atque oro, ut qualemcunque amoris in Te mei & obſervantiæ, quam Tibi iam conſecro, teſſeram, ſerena, ut ſoles, fronte accipere, Paternamque voluntatem immutatam Tuam mihi ſervare velis. Hoc novum ac ſingulare amoris Tui erga me

argumentum memoria ſempiterna tuebor, atque ſimul quicquid in me eſt ingenii,induſtriæ atque pietatis eo conferam, ut benignitatem Tuam nunquam apud me intermorituram eſſe facile perſpicias. Quod reliquum eſt, Numen æternum ſeriis precibus fatigo,ut Te, Præſidium decusque dulce meum, incolumem quam diutiſſime, ſalvumque ſemper eſſe iubeat. Vale, Parens Chariſſime,omni felicitatis genere florentiſſimus, & favere perge

Dabam Helmſtadii
die 12. Iunii 1730.

obſequioſiſſimo Tuo filio

IOH. MARTINO STARCKIO.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE
MEDICINÆ VTILITATE
IN IVRISPRVDENTIA.

PRÆFATIO.

SCientiarum plerarumque humanarum ita comparatam eſſe naturam, ut vix ulla ſibi ſoli ſufficiat, ſed altera alterius ope atque auxilio indigeat, niſi manca, mutila atque imperfecta eſſe velit, tam multi hodie cum CICERONE, ſummo Romanorum Oratore & philoſopho, a) perſpexerunt eruditi, ut haud opus eſſe credam multis hoc comprobare argumentis aut exemplis; cum vix ullum elegantioris ingenii hominem eſſe exiſtimem, qui illum diſciplinarum atque ſcientiarum nobiliorum nexum ſive vinculum non agnoſcat: ita, ut qui unam recte callere, aut in hac vel illa excellere cupit, ex aliis qui-

A bus-

a) Orat. pro Arch. Poeta cap. 1. ubi ait: *omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.*

busdam etiam multa, quæ in diſciplina, cui præcipue ſe dicavit, prodeſſe poſſunt, ſciat, neceſſe eſt: alias nomen vere ſolideque eruditi gerere aut tueri hodie haud poterit, multis in rebus errabit, officioque ſuo, ut par eſt, ſatisfacere non poterit. Quemadmodum igitur certum eſt, pleraſque ſcientias, & præſertim diſciplinas principes, ceterarum ope carere recte non poſſe, ut præ aliis Illuſtris THOMASIVS mihi eviciſſe videtur; a) ita e contrario certæ quædam dantur ſcientiæ, quæ in multis, imo omnibus, præſertim altioribus diſciplinis, ut in Theologia, Iurisprudentia, Medicina ac vera Philoſophia magnam obtinent utilitatem, atque ſic omnibus, qui vere eruditi nomen conſequi volunt, ſerviunt, imo neceſſariæ exiſtunt. Nolo iam prolixius exponere quantam & qualem utilitatem unicuique litterato afferat ſtudium linguarum, hiſtoricum, oratoricum, poëticum, logicum, ethicum, phyſicum, mathematicum, politicum, œconomicum. Supervacaneum adhuc magis eſſe puto pluribus oſtendere, quod multa ex ſtudio theologico unicuique litterato ſint neceſſaria: cum quilibet, cui animæ ſuæ ſalus curæ cordique eſt, uti merito omnibus eſſe debet, hoc ſponte agnoſcat. Verum, quia Medicus ſum, qui non niſi de rebus Medicis commode diſſerere poſſum, mihique ſpecimen inaugurale publice exhibendum eſt, argumentum quidem medicum, quod tamen multis litteratis utile ac proficuum eſſe poteſt, elegeram, & nominatim *de Medicinæ utilitate in aliis diſciplinis* diſſerendum mihi ſumſeram, atque oſtendere volueram, quod & ceteris eruditis, qui Medici non ſunt, multa imo quam plurima ex Medicina, ſcitu ſint neceſſaria. Cum vero hoc argumentum in magnam nimis molem mihi excreſceret, atque Medicinæ & cumprimis Anatomes utilitatem in Theologia variis ſpeciminibus, quæ haud paucis eisque magnis Theologis non diſplicuere, Clar. Præſes iam

alias

a) In cautel. circa præcognit. Iurisprudent. cap. XVIII.

alias demonftraverit; ego nunc tantum oftendere allaborabo vinculum Iurisprudentiæ cum Medicina, five *quantum utilitatis Iureconfulti ac fimul nonnulli alii eruditi ex Medicina capere poffint*; id quod haud fine fructu futurum effe confido. Faxit Deus ut fiat feliciter!

I.

Ne autem quis exiftimet, & inprimis almæ Themidis filii, quia forte alias non multa *de Medicinæ in Iurisprudentia utilitate* perceperunt, me forte folum effe, qui Medicinæ fcientiam futuris ICtis, aut etiam ipfis iuftitiæ facerdotibus commendare eamque iis utilem ac neceffariam effe velit; imo ne quis credat, me temere vel ex philautia quadam medicas tantum merces, ut quis facile cavillari poffet, laudare atque extrudere velle, antequam ultra progrediar, principio fcitote, præter ROLFINCIVM a) aliosque Medicos nobiliffimos, virum fummum, quem antea iam laudavi, quique apud omnes eruditos ICtos ac Philofophos, uti meretur, etiam poft funera maximo in honore ac pretio confpicitur, magnum fcilicet THOMASIVM, iam dudum ftudium medicum Studiofis Iuris vehementer commendaffe. b)

II. At ne hoc imprudens egiffe videatur, primo oftendit, *finem Iurifprudentiæ & Medicinæ a fe invicem non ita effe alienum*, ut imperitis prima fronte videtur. Nam *finem iurifprudentiæ, ait, effe fanitatem mentis; medicinæ vero, fanitatem corporis:* „Sicuti vero mens fana, fine fanitate corporis, & fanitas cor„poris, fine fanitate mentis, hominem potius miferum red„dunt quam felicem; ita unumquemque operam dare debere, ut utrumque bene fe habeat, id eft, ut *fit mens fana in corpore fano*, fi in hac vita felix effe velit.

III. Quum vero, eodem iudice, *corpus fine aliqua Medicinæ cognitione fanum recte confervari nequeat*, cumprimis quia litterati ob multam vitam fedentariam, gravioresque medita-

a) Differtationib. Anatomic, p. 79.

b) Loco citato,

tationes, valetudinarii, & in chartis quasi chartacei, id est debiles, plerumque fiant, valetudinem lædant, facileque variis morbis corripiantur: hinc apparet, sicuti omnibus litteratis in universum, ita *speciatim iurisprudentiæ studiosis haud levem valetudinis curam impendendam esse*, si Reipublicæ aliquando & sibimet ipsis utiles esse velint. Quorsum etiam mihi respexisse videtur sapientissimus Iuriumque peritissimus CICERO: dum non solum in singulis fere epistolis valetudinis curam suis tam diligenter commendat amicis; verum etiam quam luculentissimis atque certissimis ostendit argumentis, se in Medicina haud mediocriter esse versatum, sed potius in plerisque eius partibus insignem obtinuisse notitiam: quemadmodum hoc vir Clar. Io. Samuel BERGERVS tribus in hunc finem Vitebergæ quondam editis dissertationibus, de CICERONE MEDICO, a) satis abundeque evicit.

IV. Verum enim vero ad hanc corporis sui curam rite suscipiendam, corporis humani cognitione ex anatome, & potissimum scientia situs, fabricæ & usus viscerum interiorum ipsis opus esse recte inculcat idem illustris THOMASIVS, atque graviter illos sapientiæ Studiosos in universum redarguit, qui, ex nescio qua vel oscitantia vel negligentia, *curam sanitatis corporis sui vel prorsus negligunt*, vel *crapula & inordinata victus* ratione tam temere valetudinem suam lædunt & destruunt: imo etiam ipsum PVFENDORFIVM, gravissimum cetera virum, & quidem recte reprehendit, existimantem, curam sanitatis sive corporis alii committi posse, si quis modo animæ curam recte gerat. Verum acute, ut solet, solideque respondet ill. THOMASIVS, dicendo: *cum corpus etiam sit pars hominis essentialis, ut anima, æque stultum esse illum, qui curam corporis negligit, hoc est, nimis secure alii eam committit, quam qui nimis secure alii committit curam animæ.* Nam quemadmodum cuilibet tantum est sciendum ex Theolo-

a) Anno MDCCXI. in 4.

ologia, quantum ipſi ad animæ ſalutem atque conſervationem opus eſt: ita quia corpus eſt altera pars hominis, cuivis, ideoque etiam Iurisprudentiæ ſtudioſo, ſi ſapiens eſſe vult, tantum ex Medicina ſciendum, quantum ad corporis cognitionem & conſervationem requiritur: ne ſanitatem, maximum vitæ in hoc mundo theſaurum, imo vitam ipſam alienæ prorſus curæ committere neceſſum habeat; ſed ut ipſe, ut ſapientes decet, magna minimum ex parte curam ſui corporis gerere poſſit. Quis enim eſt bonus pater familias, qui equum quem amat, & in pretio habet, aut pecora, aliave ſua bona alienæ prorſus curæ & fidei committat, & qui non etiam curam ad illa conſervanda impendat.

V. Novi in hunc finem Magnates & nobiles, imo Ictos magnarumque regionum præfectos, qui non ſolum *pro equorum ſuorum aliarumque pecudum* ſanitate conſervanda multam curam impendunt, multasque cautelas adhibent. An non igitur quilibet adhuc magis curam ſui gerere debet corporis, ſanitatis & vitæ, rerum in hoc mundo nobis præcipuarum aut pretioſiſſimarum, quam bonorum aut pecorum ſuorum? quemadmodum iam agnovit HORATIVS, dum canit: a)

Si ventri bene, ſi capiti eſt, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere maius.

VI. Has igitur graves ob cauſſas Clariſſ. THOMASIVS Jurisprudentiæ ſuadet ſtudioſis, ne ſtudium Medicum, ſicut a plerisque fieri ſolet, prætermittant; quia ad veram ſapientiam & conſervationem ſui ipſius multum conferret, imo ad eam neceſſarium eſſet. *Quid enim ſtultius concipi poteſt*, pergit, *quam, cum omnes optent vitam longam & ſanam, & tamen non ſolum negligant media ad hunc finem ducentia, curam ſcilicet notitiæ ad hunc finem perveniendi; ſed ea negligant, & quod magis ſtultum eſſet, actionibus potius ſuis quotidianis ſanitatem vehementer lædant, vitamque prava vivendi ratione oppugnent atque de-*

a) Epiſtolar. Lib. III. epiſt. XII.

destruant. Imo adhuc maiorem esse stultitiam, ait, *quod nemo fere, licet etiam possit, præsertim recto tempore, velit esse medicus sui ipsius;* sed malint suum corpus committere aliis, & quidem sæpe idiotis, agyrtis, *plerique tamen velint curare alios:* iuxta Terentianum illud: Omnes dum valemus, recta consilia ægrotis damus.

VII. *Idem præterea conqueritur, quod homines etiam post morbos difficiles exantlatos, ad pristinos mores vivendi, quibus sanitatem antea labefactarunt, redeant, & sic sanitatem & longævitatem suam iisdem male vivendi rationibus de novo oppugnent. Nolite credere*, subiungit vir doctissimus, *quod ars medica solum consistat in morborum curatione sive expulsione, ut plerique falso existimant; sed quod etiam doceat sanitatis conservationem*, & quomodo morbi imminentes averti queant. *Igitur cum studiosus iuris sanitatem & vitam suam conservare, morbos vero & mortem præmaturam a suo ipsius corpore avertere intendit, præ omnibus verum ac genuinum sibi comparet conceptum, quid vita, quid sanitas, quid morbus, & quid mors sit, necessum est: cum tota medicina ad conservationem vitæ & ad mortem differendam tendat. Deo enim rationem esse reddendam de neglecta cura sanitatis & vitæ, mortisque inde facta acceleratione.*

VIII. Quoniam vero ad hæc rite intelligenda *partium, præsertim internarum, humani corporis cognitio necessaria*, quæ non tam definitione aut descriptione ex libris aut picturis, quam aspectu sive inspectione ipsarum partium rite cognoscuntur atque addiscuntur; hinc idem auctor gravissimus atque prudentissimus *iuris studioso frequentationem anatomiarum sive studium anatomicum serio commendat; sic tamen, ut nimis subtilia aut obscura prætermittat, aut iis saltem non nimis diu inhæreat, ne scilicet ἔργον ob πάρεργον negligat.*

IX. Hucusque progressus est illustris THOMASIVS in commendando studio medico & anatomico studiosis Iurisprudentiæ, atque hunc unicum ob finem etiam anatomen

lau-

laudavit. Et quamvis præstantissimus atque nobilissimus iste finis, sanitatis scilicet & vitæ conservatio iuris, imo unicuique sapienti studioso sufficere possit ad studium medicum atque anatomicum commendandum gnaviterque excolendum, (nam quod studiosis iuris sanitatis respectu dictum est, illud & aliis omnibus dictum esto) *longe tamen plures adhuc novi rationes & caussas*, *ob quas speciatim studium anatomicum iuris studiosis prodest*, imo *valde necessarium est*: ex quibus nunc nonnullas proferemus, ut quilibet inde medicinæ ingentem in iurisprudentia utilitatem cognoscere queat.

X. Itaque præter generales anatomes usus; (dum *primo nos ipsos*, mirabilemque corporis nostri fabricam inde cognoscimus, *stupendam conditoris sapientiam atque potentiam*, sicque Numen quoddam sapientissimum, potentissimumque agnoscere atque admirari cogimur, sicuti D. Præses hoc iam plurimis speciminibus alias satis evicit) cognitio corporis humani ICtis valde utilis esse potest in iustitia melius administranda, & cumprimis *in vulneribus lethalibus probe cognoscendis recteque diiudicandis*, eisque, prout necessitas exigit, vel defendendis vel oppugnandis. Omnibus hic diiudicandum propono, an non talis ICtus, *qui si iudicis officio* præest, de vulneris qualiscunque natura rectius iudicare valeat, quam iudex in anatomia rudis atque hospes? & an non iudex anatomes ignarus facile graviter in re tam ardua, ubi de sanguine & vita hominis agitur, errare possit, tam innocentem puniendo, quam nocentem, contra severum præceptum Dei, *non occides*, & *qui sanguinem profudit*, *illius sanguis quoque profundatur*, impunem pronunciando & dimittendo. a)

XI.

a) Præstaret, inquit, *Dethardingius*, ut iudex non omnino hospes esset in anatomica scientia, præsertim dum in academiis eam addiscere possent: ubi vero utplurimum spernitur. diss. de Necess. inspect. vuln. pag. 8.

XI. Deinde ſi quis patroni cauſſæ, ſive *Advocati*, ut vocant, munere tali in caſu fungitur, ille longe melius, ſi *nomina viſcerum, inteſtinorum, vaſorum uſumque eorum atque ad vitam neceſſitatem intelligit, reum vel defendere vel convincere, prout commeruit, poteſt;* quod ii certe cauſſarum patroni, qui hæc ignorant, præſtare rite nequeunt, & abſona in ſuis ſcriptis, imo ridicula ſæpe proferunt: ſicut haud raro ex actis talibus ad collegia academica transmiſſis, non ſine magna admiratione videri poteſt. E contrario *alios cauſſarum patronos tam accurate, tam apte, tamque prudenter his de rebus, iisque ſubinde valde difficilibus, & ſcribere & iudicare deprehendimus*, ut facile inde, eos in Medicina rudes non eſſe, verum bene verſatos perſpicere liceat.

XII. Quomodo enim ICtus, ſive iudex ſit, ſive patronus cauſſæ, de læſionibus verbi cauſſa *arteriæ coeliacæ, ſplenicæ, gaſtricæ, emulgentis, meſentericæ, hypogaſtricæ, carotidis, cruralis, tibialis, ſubclaviæ, axillaris, brachialis, cubitalis, aortæ, venæ portæ, venæ cavæ, azygos, ſplenicæ, meſentericæ, baſilicæ, iugularis ac vaſorum lacteorum, ductus thoracici, cholidochi, ureterum, diaphragmatis, mediaſtini & ſimilium* recte iudicare aut ſcribere poterit, qui hæc vaſa eorum ſitum, naturam atque uſum ignorat, aut nunquam vidit, ego profecto non video: talesque ICti neque reos recte accuſare, neque defendere, multo minus leve vulnus, an lethiferum fuerit, recte iudicare, aut, ut par eſt, de eo diſſerere poterunt.

XIII. Sed obiiciunt vulgo, *ICtos hic iudicio medici ſtare, illudque ſequi*, cum artifici in ſua arte credendum, atque ſic anatomes ſcientia carere poſſe. a) Verum reſpondeo hic idem, quod THOMASIVM reſpondiſſe diximus PVFENDORFFIO aliisque, qui putarunt, curam corporis, ſanitatis & vitæ ſolis medicis relinquendam eſſe. Vt enim in univer-

a) Medicis gloriam manere, ut ex ipſorum iudicio de lethalitate vulneris iudex ſententiam ferat, ait *Detharding*. diſſ. cit. p. 20.

versum ille, qui sapiens esse vult, male & imprudenter agit, qui res magni momenti, ut curam animæ aut corporis sui, aut etiam aliorum bonorum magni pretii, solum alienæ fidei & curæ relinquit; sic & ICtum male & forte non satis pie agere existimo, qui rem tanti momenti, qualis est lethalium vulnerum negotium, (ubi non de corio tantum humano, sed de ipsa vita agitur, & ubi ICtorum est, vulnerantes primo legitime accusare, reos deinde, quantum præcepta divina, iura & æquitas permittunt, defendere, & denique reum propter conditionem vulneris rite perspectam, vel condemnare, vel a capitis pœna absolvere,) alienæ prorsus fidei & curæ concredit, eamque cœco prorsus modo sequitur; *cum omnia, quæ ICti hic agunt, hoc unico nitantur fundamento*, uniceque inde petenda certitudo, atque prudentes ICti in Academiis hoc haud difficilius discere & scire possunt, quam multi Medici atque Chirurgi. Inprimis cum eos etiam non lateat, quod magna pars Medicorum & longe maior Chirurgorum in anatome & diiudicandis vulneribus valde rudis atque inepta sit. a) *Frivolos enim ac negligentes*, ut prudentissimus BOHNIUS scribit, b) *in cadavere inspiciendo, absurdos & temerarios in iudicio formando multi se gerunt, læsiones minus recte investigant & referunt, circumstantiasque insufficienter exponunt:* atque sic, si ICtus anatomes ignarus, talibus, qui in anatome rebusque huc pertinentibus non satis versati sunt, negotium committit, eisque solis credit, quid de his boni sperandum? an non cœcus cœcum ducit? an non gravissimi errores hoc modo in gravissimis negotiis perpetrantur, ubi, advertente Celeb. STRYCKIO, *de sanguine in terram profuso, qui anxius ad cœlum clamat, controversia movetur, moveturque itidem de sanguine vivi adhuc hominis carnificis manu profundendo.*

 XIV.

a) Conf. *Wedel.* diss. de Effic. dier. critic. in vulnerib. &c. pag. 40. *Welschium, Ammannum* &c. ubi ignorantia multorum medicorum & chirurgorum in hoc negotio taxatur.

b) Lib. de Vulner. Renunc. p. 4.

XIV. Non damno, quod ICti Medicos, præsertim in anatome probe versatos, in rebus adeo arduis atque difficilibus in consilium & auxilium vocent, ut tanto securius procedant: amicum enim Astreæ hic debet esse connubium cum Apolline. Attamen quod solis Medicis, aut quod nonnulli ICti volunt, a) solis Chirurgis res, quæ tanti sunt momenti, & præsertim talibus, qui in his rebus sæpe rudes, aut saltem non satis experti sunt, committere hodie multi velint, iniquum maleque actum esse censeo: maxime si recordentur, *vulnerum in homicidio diiudicationem olim solum* ad forum iuridicum pertinuisse & a *solis ICtis factam, medicosque tantum ab uno alterove seculo in auxilium vocatos esse.* Ideoque immerito & *haud sine exigua iustitiæ contumelia multi ICti*, teste celeb. ROLFINCIO b) *fidem alienis oculis relinquunt*, oneri huic collum prorsus subtrahere, illudque nunc solis Medicis aut quod maxime detestandum, solis Chirurgis imponere student.

XV. Dein si ICti animo perpendant, *quare legislatores & principes iusserint, ut in sectione occisi cuiusdam* solenni, &, ut vocant, legali, ICtus quoque unus vel alter ex iudicio illius loci intersit, Iudex nimirum, Actuarius, imo & Scabini, c) Medicisque atque Chirurgis sectionem perficientibus adstet: hoc profecto non frustra aut præter rationem a Cæsare; sed eum in finem, prudentissimo consilio ordinatum esse existimo, ut una cum Medicis vulneris naturam probe perspiciant atque observent: ne his solis eorumque relationi res tanti momenti, ubi de vita humana agitur, temere relinquatur; verum ut simul, ne fraus facile, aut error committatur, vulnus recte in-

a) Vt *Carpzovius, Barthius, Aldrobrandinus, Mascardus, Kayser.* &c. Vid. Cel. nostri *Kressii* commentat. in constit. criminal. art. 147.

b) Dissertat. anatom. pag. 79.

c) Vid. constitut. criminal. Carol. V. Art. 149. & *Kress.* comment. in hanc constitutionem.

inſpiciant, modumque læſionis rite perpendant. a) Atque hic mos non ſolum alibi, verum etiam hic in vicinia ubique, ubi talia cadavera luſtranda, obſervatur; ubi ſemper aut ſenatores, aut iuſtitiæ Præfectus, actuarius, aliique ad iuſtitiam pertinentes, ſectioni interſunt, atque relationem a Medico datam, tanquam teſtes autoptæ, rem ita, ut ſcripſerat, ſe habere, ſubſcribere ſolent. *Quomodo vero ſancto huic officio, quomodo ſanctæ iuſtitiæ hi ſatisfacere poſſunt, ſi fabrica & conſtitutio corporis humani ipſis incognita eſt?*

XVI. Si enim iuſtitiæ adminiſtratores anatomen prorſus ignorant, dic ſodes, quem ob finem ſectioni interſunt? aut quare ſe ſubſcribunt? Profecto anatomica ſcientia qui inſtructi non ſunt, *κωφὸν πρόσωπον, mutam perſonam, imo plus quam mutam, inutilem prorſus tali in actu agerent: id quod profecto a ſcopo ſapientiſſimi legislatoris omnino alienum eſt.* b) Adeoque ex his apparet, quam neceſſaria & utilis ſit ICtis anatomes ſcientia ſimilibus in negotiis, ſi officio ſuo, ut par eſt, ſatisfacere volunt; & ſimul conſtat, quod tales iudices & iuſtitiæ præfecti anatomes ignari muneri, quod a Principe vel magiſtratu ipſis demandatum eſt, ſine anatomes ſcientia multis in rebus ſatis non ſint idonei.

XVII. Verum *opponunt nonnulli inſpectionem cadaverum occiſorum prorſus fruſtraneam atque inutilem eſſe*, eamque ob cauſſam ICtum ſcientia anatomica non egere, ſed carere poſſe. c)

B 2 Nam,

a) Conf. *Tenzelii* diſſ. de Inſpect. cadav. iudiciali p. 13. & *Kreſſ.* commentat. in conſtit. crimin. artic. 149.

b) Conf. *Kreſſii* commentat. in conſtit. crim. loc. cit. qui refutat nonnullos, qui Medicorum atteſtatum ſufficere putant, quia iudex cum aſſeclis vulnera non intelligat, adeoque eos in ſectione non neceſſarios eſſe. dicitque, *hanc obiectionem quoque cognitam fuiſſe Imperatori, & tamen iudicem inſpectioni adeſſe voluiſſe, concluditque inſpectionem ſine iudice legitimam non eſſe, nec ſufficientem ad pœnam ordinariam.*

c) Vid. *Bodini* diſſ. de non requirenda lethalitate vulnerum. Halæ 1703. & *Poly-*

Nam, aiunt, si vulneratus ex vulnere doloso obiit, perinde esse, sive ob læsionem huius vel illius partis, huius vel illius vasis, aut visceris, perierit; sufficere, eum mortuum esse, ad sententiam reo pronunciandam, pœnamque ordinariam capitis dictandam: præsertim etiam quia neque in sacris litteris, ulla eius sit mentio, neque priscis temporibus apud Iudæos, Græcos, Romanos, Germanos, aliasve gentes in usu fuerit, neque apud illos differentiam illam recentiorum de vulneribus lethalibus & non lethalibus, multo minus de absolute & per accidens lethalibus, deprehendimus; verum si sauciatus obierat, vulnus ipso facto lethale habebatur, sive id sit revera tale, sive non sit: atque cum in puniendis, tum in absolvendis reis, tantum *ad alias circumstantias*, inprimis vero *ad animum vulnerantis* ICti respiciebant, utrum scilicet homicidium casu, an ex necessitate, hoc est, defensione coacta, sive ex moderamine, ut vocant, inculpatæ tutelæ, ad vim illatam sive inferendam, retundendam an ex ira, malitia aut dolo malo patratum fuerit. In prioribus casibus reos capitis pœna absolvebant; in posteriori vero damnabant: atque ita adhuc hodie totum de vulneribus lethalibus negotium in foro, sine sectione aut inspectione cadaveris, optime absolvi posse nonnulli antea nominati scriptores existimant, aliisque persuadere satagunt.

XVIII. Atque & sic ego variis in casibus rem quidem expediri posse censeo, ut sectione atque inspectione non ubique promiscue, sicut nonnulli forte nimis rigorose & absque

Polycarp. quondam *Leyserus* noster, de frustranea cadav. inspectione. Helmstad. 1723. Contra quos duo ICti surrexerunt, ut *Tenzel.* de inspectione cadaveris iudiciali. Erford. 1723. & *Dethharding.* de necessit. inspect. vulner. Rostoch. 1726. Post hos Ge. Christ. *Plaz* hanc inspectionis necessitatem rursus negavit. Lipsiæ 1727. in Problem. An in homicidio sectio & inspectio cadaveris necessaria sit? verum neque præcedentium scripta citavit, multo minus eorum, qui eam defendunt, inprimis vero *Dethardingii* argumenta refutavit.

que neceſſitate fieri contendunt, opus ſit. *Vt, ſi quis alium caſu prorſus fortuito*, quales innumeri eſſe poſſunt, ex neceſſitate *interficit ;* quia nulla hic pœna ordinaria capitis locum habet, etiam ſectio neceſſaria non eſt. Ita quoque in caſibus bene multis, *ubi homicidium dolo & aperta malitia fit*, ut, quando ſicarii, aut latrones hominem interficiunt, aut ſervus herum ſuum ad pecuniam ceteraque eius bona auferenda, aliasve malas ob cauſſas occidit, abſolute neceſſarium haud eſſe exiſtimo, ut ſolicite inquiratur, vulnus abſolute an per accidens mortiferum fuerit; verum homicida eiusmodi doloſus & malitioſus ex ſolo malo ſuo animo & voluntate poteſt iudicari, capiteque, licet etiam vulnus non abſolute ſit lethale, mulctari. Sic ſi *quis fune deprehendatur ſuſpenſus & ſuffocatus*, ſectio nihil aliud doceret, quam quod iam ſcimus. *Aliter tamen ſe res habet in eis, qui in aqua mortui deprehenduntur :* quippe qui occiſi ab homicidis ſæpe in aquam coniiciuntur, ob quam cauſſam a Medicis inſpiciendi.

XIX. Et quamvis adhuc alii caſus eſſe poſſint, ubi inſpectione cadaveris aliquando carere queamus, quamvis etiam hoc apud priſcos non ſit factum, neque in ſacris litteris id præceptum; *inde tamen nondum ſequitur, inſpectionem cadaverum promiſcue reiiciendam eſſe.* Nam dantur etiam alii & quidem quamplurimi, ubi tuto ſine periculo, ſine ſcrupulo, aut ſalva conſcientia, meo quidem iudicio, inſpectio intermitti nequit: quorum non nulli tanti ponderis & momenti deprehenſi ſunt a Medicis pariter ac Ictis, ut, dum tuto & ſecure incedere voluerint, potius in exceſſu, ut aiunt, quam defectu cadavera eiusmodi inſpicienda peccare maluerint, atque melius eſſe iudicaverint, illa etiam occiſorum cadavera, ubi inſpectio quidem non adeo neceſſaria eſſet, ut in caſibus antea propoſitis, incidere, quam ſectionem rebus dubiis intermittere, quo de veritate mortis tanto certiores eſſent, magisque ſecuri; ea a Ictis addita comminatione,

 ut

ut actiones in reum invalidas declararent, a) ubi *cadaveris occisi legitima inspectio intermissa fuerit ;* ne in sententia facile errare, sed tanto certius procedere possint. Cum *iudex de vulnere lethali sine inspectione post mortem certus esse nequeat*, nihilque certi de delinquente statuere possit. b) Vulnerans enim ordinariam legis sive Divinæ, sive Corneliæ de sicariis pœnam non incurrit, nisi de vulneris lethalitate certo constiterit.

XX. Ita, ut exemplis rem declarem, accidit subinde inter pocula, vel aliis occasionibus, (in einem Rencontre, ut vulgo dicunt) ut non nulli iræ furore, vel vini æstu perciti, arma inter se conferant, unusque alterum, leviter sauciet, & vulnus musculis ventris sive pectoris (vel si libet, alii parti corporis non adeo nobili, neque ad vitam valde necessariæ) infligat: vulneratus vero vel ex ira vel ex crapula, vel ex potu frigido brevi ante vel post hausto, vel alia de caussa eodem tempore pleuritide, peripneumonia, inflammatione ventriculi, hepatis, aliove periculoso morbo corripitur atque die tertio, quarto, quinto, septimo, aliove, quocunque libuerit, post vulnerationem moritur. Hic profecto illi, qui inspectionem vulnerum sive cadaverum occisorum frustraneam esse volunt, vulnerantem, qui ea occasione animum sive voluntatem lædendi habuit, vulnus vero levis momenti, musculis scilicet tantum abdominis, pectoris, colli, brachii, manus, sive aliis similibus partibus ipsi inflixit, unde mori nonpotuit, *mortuus vero est propter alium morbum*, ex *incongruo nempe victu*, *frigore*, *ira vel potu frigido*, aliave caussa contractum, ex sua præiudicata opinione sive hypothesi, dum cadaver non inspiciendum volunt, statuent, vulnerantem læ-

so

a) Vid. *Tenzel*. differt. citat. pag. 24. qui plures hic celeberr. ICtos adducit. Conf. *Ammanni* Med. critic. *Valentini* Pandect. Medico-legales. *Zittmann* Med. forens. *Detharding*. l. c.

b) Vid. *Stryk*. de Iur. sens. diss. 1. c. 3. §. 21. *Clasenius* in comment. ad const. criminal. *Tenzel*. differt. citat. p. 8. & 23. *Detharding*. loc. cit. *Kress*. constit. criminal.

ſo (quia mortuus eſt poſt plagam inflictam) vulnus lethale inflixiſſe, eumque, quia animum lædendi habuerit, capite plectendum eſſe iudicabunt.

XXI. In tali & ſimilibus innumeris caſibus *reus quidem defunctum vulneravit*, verum, quod certiſſimum eſt, *non interfecit.* Leges vero & divinæ & humanæ morte illos non puniri iubent, qui ſolum alerum lædunt vel leviter vulnerant; verum illos, qui re vera cædem ſive homicidium committunt, a) id eſt, qui alterum ita lædunt aut percutiunt, ut ob vulnus inflictum mortuus ſit.

XXII. Quoniam vero in quavis læſione, præſertim, ubi æger non ſubito aut mox a plaga accepta interit, *facile alius gravis morbus, qui a vulnere non dependet, ſupervenire aut forte iam antea adeſſe, vulneratumque interimere poteſt:* ut anevriſma internum, vel abſceſſus in cerebro, pectore, infimo ventre, aliusve ſimilis; vel etiam febris aliqua, quæ brevi poſt vulnerationem vel etiam aliquot abhinc diebus vulneratum interficit: hinc facile, gravi tamen errore, vulnus, quod in ſe poteſt eſſe leve & ſanabile imo leviſſimum, pro mortis cauſſa haberi poterit, niſi cadaver incidatur & inſpectio accurata non modo vulneris, ſed etiam reliquarum fiat partium, ut ſic vulnus an alius morbus mortem vulnerato intulerit, inveſtigari certoque demonſtrari poſſit: id quod profecto ſine ſectione atque inſpectione cadaveris, quicquid alii reclament, teſtibus ſana ratione, præſtantiſſimisque Ictis ac Medicis, certe ſcire aut cognoſcere impoſſibile eſt.

XXIII. Ita, ut exemplo rem declarem, paucis abhinc hebdomadibus collegio Medico Helmſtadienſi caſus decidendus transmittebatur, ubi venator ruſticum, poſtquam inter ſe rixati erant, ictu ſclopeti, quod minoribus globulis plumbeis onuſtum erat, (mit grobem ſchrot) mox ſupra genu in femore lædit. Vulneratus curæ medici & chirurgi committitur

a) Conf. *Kreſſ.* comment. in Conſtit. Carolin. artic. 147.

titur, nulla aderat ſanguinis profuſio, nulla ſupervenerat inflammatio, nulla gangræna, nulla putredo; attamen vulneratus die undecimo, poſtquam per breve tempus male ſe habere conqueſtus erat, diem obit ſupremum. Cadaver ab alio Medico & Chirurgo, quam qui vulneratum curaverant, aperitur: a quibus *magna copia humoris*, *ultra duas ſcilicet libras in thorace*, nulla vero in loco vulnerato caries oſſium, nulla gangræna aut ſphacelus, imo nequidem putredo deprehendebatur. Quare collegium medicum Helmſtadienſe defunctum non ob vulnus hoc, quod nullis gravibus ſymptomatibus ſtipatum erat; verum ob magnam copiam morboſi humoris in pectore ſtagnantis, qui a vulnere illo oriri non potuit, obiiſſe ſtatuerant. Incidit enim ſæpe, ut homines non vulnerati ob hanc cauſſam ſubito moriantur. Ipſe enim D. Præſidem cum aliis commilitonibus vidi incidere cadaver virginis quindecim circiter annos natæ, quæ poſtquam vix per unum àlterumve diem male ſe haberet, & continuo adhuc in ædibus obumbularet, ſubito tandem quaſi in animi deliquium incidens moritur: ubi in defunctæ cadavere in cauſſam mortis ſubitaneæ inquirentes, in pectore ingentem quoque purulenti humoris copiam deprehendimus. Quodſi hæc virgo aliquot diebus ante obitum in pede vel manu aliave parte haud periculoſa vulnerata & non inciſa fuiſſet, multi forte ex vulgo ipſam ob vulnus, & non ob morbum internum deceſſiſſe crediſiſſent: qua tamen in re turpiter decepti fuiſſent. Ita femina leviter in cervice & humeris tenui baculo percuſſa, paullo poſt interiit: in cuius cerebro aliquot cochlearia ſanguinis effuſi deprehendebantur, a) quod ex levi tali læſione oriri non potuit.

XXIV. Cum vero eiusmodi caſus non ſolum iam a variis autoribus obſervati ſint, imo etiam in iis ſæpe occurrant, *qui in bello vulnerantur, ubi ſæpiſſime leviter vulnerati, pravo*

a) Frid. *Hoffmann.* diſſert. de læſionibus externis p. 18.

vo victu, aëre incongruo, frigore, venere intempestiva, crapula, saltatione immoderata, equitatione, cursu, aliove motu excedente, periculosum morbum, ut febrem ardentem, pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem mortemque ipsam sibi *accersiverunt.* Imo cum non modo vulnerati, sed sani etiam homines ex eiusmodi erroribus brevi in morbos acutos aut lethiferos incidere possint, uti toto die observamus; dubitandum non est etiam vulneratos, præsertim si ante & in vulneratione vel crapula obruti erant, vel ira vehementius commoti, vel ex prægressa inordinata victus ratione iam morbi gravis seminia in corpore circumtulerant, eiusmodi morbis obrui, vel morbum latentem post vulnus inflictum erumpere, vulneratumque opprimere posse. Iniustum vero imo iniquissimum esset & contra præceptum Divinum, vulnerantem (latrones & sicarios hic excipio) in tali casu, ubi æger vel sua culpa sibi mortem contraxit, vel ob morbum alium & non ob vulnus interiit, propter huius vel illius nudam coniecturam, præsumtionem, vel præiudicatam opinionem capite plectere velle. Hoc enim non solum sanæ rationi adversatur, sed summi quoque ICti, ut STRYKIVS, BERGERVS, BARTHIVS, aliique dissentiunt; statuuntque, quod si læsus non ex vulnere moriatur, vulnerantes mortis pœnam non incurrant. a)

XXV. Ne tamen etiam temere dimittatur, & a capitis pœna, quam præcepta & divina & humana a vero homicida postulant, nimis facile absolvatur, quoniam *vulnus sæpe extus leve apparet, quod tamen intus gravissimas imo lethales excitavit læsiones*, ut certe cognoscatur, *sitne reus homicida?* id est, an vulnus lethiferum mortuo inflixerit, *an vero ob morbum perierit, inspectio cadaveris accurata necessaria, unicumque & certissimum verum inveniendi remedium est;* quia sciri hoc certe nequit sine cadaveris apertura & inspectione: quippe qua so-

a) vid. *Tenzel.* diss. de inspect. cadaver. p. 6. & *Kressius* noster Const. Crimin. Art. 147.

la vulnus, an morbus cauſſa mortis fuerit, deprehendi poteſt. Liquidiſſimis enim probationibus deficientibus, pœna ordinaria capitis infligi nequit, a) nullusque ob ſolas præſumtiones, quia fallunt & fallere poſſunt, puniendus: b) atque ex his & ſimilibus fundamentis ſatis patere exiſtimo, inſpectionem cadaverum non eſſe fruſtraneam, verum ſumme neceſſariam & ſine hac nihil certi hoc in negotio cognoſci.

XXVI. Sufficere hinc poſſent hæc aliave ſimilia exempla pro demonſtranda neceſſaria cadaverum occiſorum, ſive, ut rectius dicam, pro occiſis habitorum inſpectione; verum rem tanti momenti, quam nonnulli etiam e recentioribus oppugnarunt, aliis adhuc non nullis notatu dignis explicabo. Nocturno tempore *duo cum tertio levem ob cauſſam*, ut inter ſtudioſos iuvenes ſæpe fieri ſolet, *rixas in platea movebant*, atque gladiis aliquamdiu inter ſe dimicabant. Tandem tertius unico vulnere in thorace ſuſcepto, animam paullo poſt exhalabat. *Aggreſſorum alter gladio utebatur anguſto, alter vero lato ſive amplo.* Quæſtio oriebatur, quisnam illorum duorum mortuo vulnus illud inflixerit, cum nulli eſſent teſtes, qui hac de re teſtimonium ferre poſſent; (ambos vero ſimul ob unicum vulnus capitis pœna afficere, haud iuſtum videbatur.) Quid hic faciendum erat? Sola *ſane inſpectio cadaveris occiſi hic litem dirimere poterat optime.* Nam deprehendebatur vulnus valde anguſtum pulmonem & arteriam magnam perforaſſe; unde cognoſcebatur, *illum, qui anguſto gladio uſus erat, vulnus inflixiſſe:* id quod ſine inſpectione cadaveveris nemo, imo ne ſapientiſſimus quidem ICtorum divinare potuiſſet. Ita alio, ſed ſimili fere in caſu, ex inſpectione cadaveris cognitum eſt, illum, qui lato gladio pugnabat, vulnus lethiferum intuliſſe: id quod tamen, quia anguſtus gladiis ſcindendo amplum quoque vulnus efficere poteſt, non adeo

a) vid. *Tenzel.* l. c. p. 24. *Dethardíng.* l. c.
b) *Kreſſius* l. c. Art. 147.

adeo certum eſt, ut caſus præcedens. Hoc modo etiam *ſi ex duobus lædentibus alter lamina gladii triangulari, alter alius formæ utitur*, ex vulneris inſpectione ſæpe verus reus ſive homicida cognoſci poteſt.

XXVII. Præter hæc exemplum mihi ex relatione Excell. Præſidis cognitum eſt aliud, ubi duo ſimul & ſemel *tertium machinis ignivomis, ſive ſclopetis, ut vocant, glandibus plumbeis onuſtis, petebant*, eumque *earum exploſione occidebant*, ita tamen, ut unico tantum vulnere læſus eſſet, & glans ſive globus plumbeus in ventre remaneret. Iam ſine inſpectione cadaveris cognoſci non poterat, quisnam aggreſſorum mortuum interfeciſſet. Cum vero alter aggreſſorum machina ignivoma uſus eſſet, quæ ob exiguum canalem non niſi minorem glandem capere & vehere poterat; alter vero talem machinam exonerabat, quæ duplo maiorem glandem capiebat, *in cadaveris vero inſpectione glans magnus reperiebatur, quam machina ignivoma anguſtior non capiebat*; hinc certo cognoſcebatur, *eum mortuum occidiſſe, qui ampliori, non qui anguſtiori machina uſſus eſt.* (denn der eine hatte ein enges gezogenes Rohr gehabt; der andere aber hatte aus einer ſtarken Flinte/ in welche eine groſſe Kugel ginge/ geſchoſſen. Id *quod profecto nullo modo certe ſine inſpectioue cadaveris cognoſci potuiſſet*; inſpectione vero cognitum eſt & facillime & certiſſime.

XXVIII. Ita non raro contingit, *homines mortuos modo in viis publicis, modo in aqua, modo ædibus, aut lecto reperiri*, ubi iuſtitiæ præfectis iuſta ſemper oritur ſuſpicio, hominem talem violenta morte obiiſſe, atque ab alio interfectum eſſe. Ideoque *violenta morte an morbo perierit, curate eſt inquirendum, ut homicidæ inveſtigari atque pro merito puniri queant.* Quare omnino valde neceſſarium eſt, ut cadaveris inſpectio prudenti Medico committatur. Vbi vero iuſtitiæ præfecti noſſe debent, *ſolam externam inſpectionem, ut ſæpe contingit, haud ſufficere in his caſibus*: quia læſiones lethales, ſive mortes fuſti-

bus, lapidibus, aliisve obtusis instrumentis excitatæ sæpius externe cognosci non possunt, & quandoque ne vestigium quidem læsionis extus apparet, licet intus cerebrum, hepar, lien, ventriculus ita destructa & lacerata deprehendantur sectione, ut eorum læsiones mortem necessario post se traxerint. Vnde constat, quam necessariæ sint talium cadaverum inspectiones, ut certe cognoscant iudices, morbo an vi externa mortuus obierit: atque si posterius verum est, in homicidas curatius inquirere, eosque deprehensos punire juste queant. *Nam sine accurata tali inspectione, & ubi ex morbo denatum hominem credunt, in homicidas, id quod impium est, ne quidem inquirunt*, enormia eiusmodi facinora non puniunt, eoque ipso occasionem præbent & homicidis eiusmodi, & aliis sceleratis hominibus, ut imposterum idem facinus frequentius exerceant.

XXIX. Novi sic *exemplum, ubi tabellarius quidam*, hodie bene valens, circa vesperam in via publica, nescio quam ob caussam, cum rusticis quibusdam in contentionem veniebat, ubi res a verbis ad verbera &, ut videtur, non levia perveniebat: nam tabellarius ille, tandem fuga salutem quærens, altero die non procul ab illo loco, ubi verbera acceperat, mortuus reperiebatur. Rustici illi non multum gloriabantur de facto hesterno, verum alto silentio illud premebant. Præfectus ad cadaver inspiciendum non nisi vulgarem Chirurgum advocat, qui, facta levi & brevi externa tantum cadaveris perlustratione, nullam gravem læsionem deprehendens, renunciat mortuum non ex caussa violenta externa; verum quia variæ maculæ cœrulescentes hinc inde in corpore apparebant, (id quod tamen quam plurimis in cadaveribus solenne est) ex apoplexia mortuum esse, atque uberiori investigatione aut sectione opus non esse putabat. Præfectus Chirurgi dictis fidem habens, (id quod profecto periculosum) nullam præterea inquisitionem instituit. Attamen

men multi poſtea prudentes, præſertim cum ſucceſſu temporis magis, ruſticos hunc virum fuſtibus male graviterque tractaſſe, in vulgus etiam innoteſceret, præfecto iuſtitiæ in malam partem, & quidem, meo quoque iudicio, recte interpretati ſunt, quod cadaver a ſolo Chirurgo & quidem tantum externe inſpici, & quod illud non etiam interne a perito Medico perluſtrari curaverit: ita enim certior eſſe potuiſſet, apoplexia an verberibus mortuus fuerit, atque rei, ut merebantur, puniri potuiſſent, qui præcepto divino ſusque deque habito impunes evaſerunt.

XXX. E contrario prudentiores ICti non ſolum tales homines, qui ut prædictus mortuus reperiuntur, verum etiam illos, qui *ex ſuſpicione veneni dati vel accepti* ſubito quandoque moriuntur, incidi atque a peritis Medicis ad verum inveniendum examinari curant. Hoc enim decet bonos piosque ICtos, ut omni modo ac diligentia in crimina talia enormia inquirere, eaque, ubi opus, ſalutis publicæ cauſſa punire ſtudeant. a) *Quando enim inſpectio omittitur, iudex ſemper, quid faciat, incertus eſt*, milleque difficultatibus, imo abſurditatibus implicatur: nam inter media certitudinem delicti probantia, oculatam inſpectionem ceteris omnibus prævalere, certiſſimum eſt.

XXXI. Et quamvis his ſatis expoſuiſſe videor, inſpectionem cadaverum ſæpiſſime non eſſe fruſtraneam, ſed maxime neceſſariam; tamen *ejus utilitatem ſummamque neceſſitatem adhuc quam manifeſtiſſime ex infanticidii inquiſitione* (quam contrarium ſentientes ſilentio prætermittunt) *cognoſci poſſe* arbitror: & quidem ſic, ut nemo prudens utilitatem & neceſſitatem inſpectionis cadaveris hoc in caſu iure negari queat.

 Cum

a) plura exempla, ubi ſine inſpectione cadaveris nihil certi cognoſci potuiſſet, & ubi ſola coniectura aut præſumtio, quam contrariæ ſententiæ defenſores ſufficere putant, fefelliſſet, vid. in *Dethardingii* lib. ſæpius laudato, variis in locis, item *Wedel.* de Effic. dier. criticor. p. 37, 38. *Valentini* Pandect. *Zittmanni* Medicina Forenſ.

Cum enim infans clam & ſine teſtibus a meretrice natus deprehenditur mortuus, ſicuti vulgo fieri ſolet, licet ipſum ſæpiſſime interfecerint, vel ſaltem neglexerint, infantem mortuum eſſe natum fere ſemper reſpondere ſolent, ſi inquiſitio inſtituatur. *Quis hic tam perſpicax, tam prudens, tam ſapiens ſibi videtur, ut ſine inſpectione cadaveris veritatem cognoſcere audeat?* Vel quis erit prudens, iuſtusque, qui inſpectionem fœtus mortui clam enixi fruſtraneam eſſe exiſtimabit? ego profecto neminem hoc iure agere poſſe credo: quia impoſſibile eſt alio modo verum deprehendere. Adeoque etiam fere omnes iique ſummi ICti & Medici recentiores *inquiſitionem in ream nullam & vanam eſſe ſtatuunt, ſi fœtus ſine ſectione & inſpectione legali ſepultus*, & iam iam corruptus eſt, atque Iudicem, qui hæc neglexit, vituperant, erroriſque vel ignorantiæ reum agunt. Inſpectione vero tempeſtiva primo generatim fœtus externe læſus ſit an illæſus, obſervare poſſumus. Si læſus: qua ratione læſio facta ſit, indagari poteſt, an in collo indicia ſtrangulationis, fune vel linteo peractæ, adſint? an pectus, collum, caput vulneratum, an cranium fractum vel impreſſum? an contuſiones ſanguisve effuſus ſub cute capitis vel ſub ipſis cranii oſſibus deprehendantur? An non exigua vulnuſcula, & ſtigmata quaſi tantum ſanguinea, morſibus pulicum haud diſſimilia, circa cor, cervicem, bregma ſive fontanellam aliave capitis loca, ubi oſſa cranii in infantibus recens natis hiare ſolent, reperiantur: quia his in locis inſenſibili fere modo acubus tenellos infantes interficere poſſunt infanticidæ.

XXXII. Præterea obſervandum, *utrum funiculus umbilicalis cum placenta uterina adhuc fœtui cohæreant*, an ſeparata ſint? funiculus hic diſſectus an ruptus ſit? nam in recens nato infante, ſi funiculus umbilicalis iam corruptus & putridus eſt, fœtum iam in utero mortuum fuiſſe indicat: ſique placenta uterina ſimul putrida eſt, tanto magis in hac

ſen-

ſententia confirmamur. Quando vero fœtus iam per aliquot dies, præſertim æſtivo tempore, natus & mortuus eſt, nihil certi ex his iudicari poteſt; quia facile & brevi tempore hæ partes putreſcunt & corrumpuntur, ut diſtingui nequeat ante an poſt partum hoc factum fuerit.

XXXIII. Partibus externis probe conſideratis, & læſionibus, ſi quæ adfuerunt, notatis, *ad interna luſtranda progrediendum:* ut ſic, quomodo hæc ſe habeant, aut quales læſiones intus deprehendantur, inquiri poſſit. Tunc primum abdomen & pectus aperiuntur: ubi præſertim ſi funiculus umbilicalis non fuerit ligatus, inquiritur utrum vaſa magna, præſertim arteria aorta, vena cava & vena portæ, itemque cor & eius auriculæ ſanguine plenæ an vacuæ reperiantur. Si poſterius, fœtum ex hæmorrhagia funiculi umbilicalis, ob neglectam eius ligaturam obiiſſe docet. Sin prius, in aliam mortis cauſſam indagandam: ubi inprimis *pulmones in conſiderationem* veniunt.

XXXIV. Hi quando in fœtu mortuo recens nato nigri, collapſique deprehenduntur, & aquæ ſufficienti quantitati cum integri, tum fruſtulatim iniecti fundum petunt, fœtum non reſpiraſſe, ideoque neque extra uterum vixiſſe, neque a matre interfectum eſſe plerumque docent. Sin vero rutilant, eorumque ſpongioſa ſive veſicularis ſubſtantia inflata apparet, & aquæ immiſſi innatant, fœtum & ſpiraſſe, atque extra uterum vixiſſe, ſive vivum natum eſſe, utplurimum denotat: adeoque, præſertim ſi læſio externa adeſt, fœtum interfectum indicat, minimum ſeveriorem longe inquiſitionem in infanticidium requirit, quam ſi pulmones non natarent.

XXXV. Vtrumque quidem ſignum *ſive natent, ſive ſubmergantur pulmones, non eſt infallibile*, ut ex eo ſolo de infanticidio iudicetur; ſed alia ſigna atque adminicula in auxilium ſunt vocanda, ut verum tandem inde deducatur ratio-

tiocinium. Sic *ſi pulmo ſubmergitur in aqua*, nulli vero duri tumores, aut aliæ res morboſæ in ipſis deprehenduntur, neque colorem grate rubicundum obtinent, certo inde concludi poteſt, fœtum non ſpiraſſe, ſed in utero iam mortuum, adeoque mortuum natum & non interfectum eſſe. Ex adverſo, ſin pulmo aquæ innatat, fœtum reſpiraſſe docet. Quia vero fœtus partus tempore, præſertim in partu difficiliori, disruptis iis membranis, quæ fœtum antea cingebant & includebant, aërisque acceſſum arcebant, iam in utero, ore præſertim ad uteri orificium converſo, aliquo modo ſpirare animamque trahere poteſt, & leviſſimos etiam aëris in pulmones ingreſſus natationem eius efficere ſubmerſionemque impedire valet: *hinc natatio pulmonum non eſt infallibile ſignum, fœtum extra uterum vixiſſe* atque interfectum eſſe. Verum aliæ circumſtantiæ adſint neceſſe eſt, læſiones inprimis notabiles in capite, collo, facie aliisve partibus obviæ; neglecta funiculi umbilicalis ligatura, aliave indicia; alias ex ſola pulmonis natatione nihil certi de vita fœtus extra uterum eiusque infanticidio iudicari poteſt: quemadmodum hoc Cel. Præſidem peculiari programmate a) exemplo notatu digniſſimo, contra maximam Medicorum partem contrarium ſentientium, & ſpeciatim contra recentiores nonnullos, qui certiſſimum, indubitatum atque infallibile hoc ſignum putarunt, ſuis ſcriptis oſtendere conati ſunt, b) viciſſe exiſtimo, quod hic conferatur.

XXXVI. Præterea ſcientia anatomica, ſi de *infanticidio* res eſt atque inquiſitio, iuſtitiæ adminiſtratoribus & cauſſarum patro-

a) Ex pulmonis fœtus innatatione vel ſubmerſione in aqua nullum certum infanticidii ſignum deſumi poſſe, Helmſtad. 4. 1722.

b) ut *Rayerus* M. N. C. Dec. I. A. VI. obſ. 202. p. 299. *Schreyer.* in peculiari diſſertat. German. ubi & aſſenſum *Rivini, Langii* & Collegii Medici Francof. adducit. von Hoorn Medicus Suecus, in peculiaribus epiſtolis hac de re Holmiæ editis. It. Act. Medicor. Berolinens. Tom. IX. Art. IV.

patronis multum prodeſt, præſertim ſi infantis conſtitutionem in utero, eius funiculum umbilicalem, placentam uterinam, aliaque circa fœtum & partum occurrentia ex anatomia probe calleant: imprimis vero quomodo pulmones, de quibus modo actum eſt, ſeſe habeant in fœtu, qui vel ſpiravit vel non ſpiravit; & quid pulmonum fœtus in aqua ſubmerſio vel natatio ſignificet: unde quandoque tota de ſuſpecto infanticidio controverſia expediri poteſt. Præterea ICtos iuvat ex anatome ſcire, quod *neglecta funiculi umbilicalis ligatura* facile fœtui cauſſa mortis eſſe poſſit, & quare? a) quomodo porro *ob peculiarem oſſium cranii in infantibus recens natis*, præſertim circa fontanellam & circa occiput conſtitutionem, ubi a ſe invicem diſtant, infanticidæ facile infantes ſine notabili apparente læſione externa interficere queant; quam vero anatomes gnarus ICtus facilius deprehendere poterit, quam harum rerum imperitus. Denique ex anatome diſcet, *unde cognoſcatur, an mulier pepererit*, quando in iuſta ſuſpicione eſt de fœtu enixo & infanticidio? quales caſus etiam ſæpius iuſtitiæ præfectis occurrunt in pagis, ab urbibus valde remotis, vel in minoribus urbibus, ubi medicus peritus ſæpe præſto non eſt, aut adeſſe non poteſt; atque ſic ICtus, anatomes gnarus, in caſu neceſſitatis ſæpe res illas ſolus cognoſcere poterit.

XXXVII. Sic paucis abhinc annis, ut rem exemplo illuſtrem, *caſus ſuſpecti infanticidii* hic collegio medico Helmſtadienſi ad decidendum proponebatur: ubi revera patronus cauſſæ cognitione ſua anatomica, atque prudentiſſimo de fœtu, qui nunquam ſpiravit, aut extra uterum vixit, ratiocinio, innocentiam reæ, quæ alias ob circumſtantias ceteroquin valde ſuſpecta erat, evicit, atque *ſic innocentem peritia ſua anatomica liberavit*; cui alias forte moriendum fuiſſet, ſi ignaro harum rerum cauſſæ patrono uſa eſſet. Tam com-

a) vid. *Kreſſius* l. cit. artic. 131.

mode enim & tam apte de pulmonum natatione, ut ſigno incerto infanticidii, de funiculi umbilicalis fortuita ruptura, deque neglecta eius ligatura eiusque cauſſa, diſſerebat, atque fœtus per totum geſtationis tempus debilitatem, tam opportune aliis ſimilibus caſibus illuſtrare noverat, ſanguinisque effuſiones ſub cute & cranio infantis, tumoresque & impreſſiones cranii, rationes, aliaque quæ in partu huius mulieris & poſt eum ratione lochiorum contigerant, tam ſapienter expedire poterat, ut nihil ſupra? quod profecto ab *advocato* in anatomicis rebus hoſpiti fieri nulla ratione potuiſſet. Qui enim partium harum appellationes, aut terminos his in rebus conſuetos neſcit, ille revera etiam reas tales, quæ quandoque valde ſimplices ac ſtupidæ ſunt, & parum ad exculpationem ſuam ſuppeditare poſſunt, defendere recte non poterit: unde poſtea facile innocens, male defenſa, ob magnam præſumtionem pro noxia habetur a iudicibus, atque capitis pœna afficitur. Iudices quoque ipſi, imo integra ICtorum collegia, quibus tales caſus decidendi occurrunt, ſine anatomes ſcientia de funiculo umbilicali, eius neceſſaria ligatura, de pulmonis diverſo habitu in eis, qui ſpirarunt & non ſpirarunt, de hiatibus cranii ſive capitis, aliisque ſimilibus rebus, unde tamen Κρινόμενον ſæpe deſumi debet, recte iudicare nequeunt.

XXXVIII. Si de *virginitate* quæſtio oritur, itemque de *potentia vel impotentia* in ſexu virili, *ſterilitate & ineptitudine ad concubitum, generationem & matrimonium in mulieribus*, atque ſic de divortii cauſſa agitur coram magiſtratu, ubi inſpectionem talem in curia perſonæ magiſtratus ſive Iudices quandoque ipſi perficiunt, vel ſaltem intereſſe ſolent, quando in caſibus intricatioribus Medicos aut obſtetrices advocant, ne ab his facile fallantur: ibi certe iudices recte iudicare nequeunt, ſi fabricam aut conſtitutionem uſumque partium genitalium naturalem utriusque ſexus ignorant; quippe a qua

igno

ignorantia multi in hoc negotio graviſſimi olim errores commiſſi ſunt. Unde autem veram hanc conſtitutionem, præſertim partium genitalium ſive naturalium muliebrium licito modo addiſcere recte poſſunt, quam ex anatome, profecto haud video. Ideoque qui in anatomia hoſpites ſunt, inepti ſæpe his de rebus erunt iudices. Sic qui teſticulorum naturam & uſum non rite perſpectum habet, quid corruptio vel amiſſio unius vel alterius in Kelotome, ſcirrho, hydrocele, ſarcocele &c. nocere poſſit in generationis negotio non cognoſcet: ubi tamen in caſibus divortii ob accuſatam impotentiam his de rebus reſpondere ac ſententiam pronunciare debent ICti.

XXXIX. Porro ut ICtus tanto promtius *de legitimo partus tempore, deque partu inprimis ſeptimeſtri & octimeſtri*, an vitalis & legitimus eſſe poſſit, iudicare queat, ſcientia anatomica ipſi prodeſt: quia in hac eique annexa phyſiologia de eo potiſſimum agitur. Ita etiam quandoque *undecimeſtres, duodecimeſtres & tredecimeſtres* legitimos exiſtere, multis eisque gravibus argumentis præter alios collegium Medicum Helmſtadienſe ante aliquot annos probavit, atque ex anatome, intellecta nutritione fœtus in utero, vel bene vel male quandoque ſuccedente, fœtuque in utero vel ſano & vegeto, vel debili aut ægroto, res optime expediri poteſt: quemadmodum doctiſſimus commilitonum meorum WAGNERVS diſſertatione de *Partu tredecimeſtri legitimo* haud adeo pridem ſub Exc. Præſidis præſidio eleganter expoſuit.

XL. In *puniendo meretriculorum abortu provocato* ICti pii hodie ex anatomica ſcientia cautiores eſſe poſſunt & certiores quam olim. Priſcis enim temporibus fœtum in utero non ante quartum vel quintum graviditatis menſem vivere ſive animatum crediderunt; quapropter fœtum ante hoc tempus data opera olim eiectum, non eſſe infanticidium, ideoque nec puniendum putarunt, atque multas ſæpe hac de re in-

 uti-

utiles quæſtiones agitarunt. a) Contra ex anatome & phyſiologia certi ſumus, fœtum etiam prioribus menſibus, imo mox in prima conceptione, vel primo imprægnationis tempore iam vivere. Vbi enim in animali motus cordis & accretio, ibi vita; ſine motu cordis enim & vita nullum poteſt fieri fœtus incrementum. Quis enim hodie in hac ſplendida phyſiologiæ luce credere aut ſibi perſuadere poterit, fœtum primis menſibus, (dum primo vix formicam ſuperat) poſſe creſcere, & tamen non vivere. Cum vero ipſum tunc creſcere certum ſit; ergo, quicquid nonnulli reclament, etiam vivit, licet a matre non ſentiatur. Quare inde diſcunt ICti prudentes, abortum primo etiam, vel altero, vel tertio menſe malis artibus provocatum, æque eſſe infanticidium, ac ſi cetero graviditatis tempore fœtus expelleretur; adeoque eadem merito infanticidii pœna, me quidem iudice, nefandum hoc homicidii crimen puniendum erit.

XLI. Præterea ex anatome ICti addiſcere poſſunt, *fœtum in gravida non ſolum matris, ſed ſua propria etiam vivere vita;* Ideoque *matre extincta, fœtum perfectum, ſæpe non mox mori, ut nonnulli male putarunt;* verum ſæpe adhuc diu, ſaltem per aliquot horas, eum adhuc vivere ac ſuperſtitem eſſe poſſe. b) Quapropter ICti, qui magiſtratum gerunt, *legis Regiæ* dictæ c) debent eſſe memores: quæ præcipit, *ne gravida mortua ſepeliatur, antequam fœtus ei exſcindatur, ob ſpem prolis ſervandæ.* Nam barbarum, imo plus quam barbarum eſt, præſertim inter Chriſtianos, miſeros tales innocentesque infantulos, qui nihil mali commeruerunt, vivos ſepelire, aut ſaltem non excidere, qua negligentia neceſſario moriuntur, qui matura matris mortuæ apertura ſervari, & e mortis faucibus eripi potuis-

a) vid. commentatores in Conſtit. Criminal. Caroli V.

b) Exempla eiusmodi vid. in Cl. Præſid. diſſert. *fœtum ex utero matris mortua mature exſcindendum eſſe.*

c) Digeſtor. L. XI. Tit. VIII. de mort. infer. & ſepulchr. ædific.

tuiſſent; ſicuti conterraneus meus DIEFENBACHIVS auſpiciis Cel. Præſidis hæc olim in peculiari diſſertatione modo-laudata multis rationibus atque exemplis probavit, ac ſimul demonſtravit, legem illam Regiam, licet ab ethnicis Regibus provenire credatur, vere piam atque chriſtianam eſſe: præſertim cum in hac lege addita reperiatur comminatio: *qui contra fecerit, ſpem animantis cum gravida peremiſſe videtur.*

XLII. Attamen ob Medicinam a ICtis vulgo neglectam, *hanc etiam adeo ſalutarem legem*, (qua conſcientia, iam non decidam) *multorum infantum cæde aut interitu neglexerunt*, atque *adhuc ubique fere locorum turpiter ac impie negligunt.* Nam nusquam, quantum mihi ſaltem conſtat, novi iudicem vel magiſtratum, qui de hac lege obſervanda vel ſolum cogitet; verum prægnantes mortuas promiſcue ſine ſectione una cum fœtu, quod dictu horrendum, imo quandoque cum gemellis ſepeliri patiuntur, de ſectione matris, aut ſervandis infantibus nihil quicquam ſoliciti. An vero non Deo rationem aliquando ſint reddituri de neglecta lege adeo ſancta, de neglectis tot infantibus, quaſi interfectis, ipſi aliquando, qui in culpa ſunt, videbunt. Nam ipſa lex tales iudices homicidii reos facit, dum ait: *qui contra fecerit*, id eſt, gravidas mortuas non incidi, fœtumque educi curat, & quidem mature, *is ſpem animantis, id eſt, infantem peremiſſe videtur.* Ego & dixi & ſcripſi meam ſententiam, animamque meam hoc ipſo ſervaſſe credo. ICtorum nunc erit legem tam piam, tam ſanctam, tam iuſtam & utilem denuo inſtaurare; quam profecto non niſi temporibus barbaris ob neglectam Medicinam atque anatomen veniſſe in deſuetudinem arbitror.

XLIII. In foro adhuc plures alii occurrunt caſus, in quibus ICtus ſine anatomes & aliquali Medicinæ notitia, *ut ſi de placenta, lochiis, hymene*, aliisque ſimilibus rebus lis eſt, non niſi abſona proferre, aut alieno prorſus vitulo arare cogitur;

gitur; ubi e contrario, si in his rudis non est, suo ingenio & proprio marte (id quod nobili ICto longe est gloriosius) in foro agere potest. Vno alterove exemplo tam Collegio Medico Helmstadiensi quam speciatim D. Præsidi haud adeo pridem oblato rem declarabo.

XLIV. *Puerpera recens vehementi terrore a marito percellebatur, lochia inde subito obstruebantur, & misere brevi moriebatur.* Marito caussa mortis adscribebatur; quia tanto terrore excitato, lochiorum suppressionem, quam mors brevi secuta erat, concitasset. *Fiscalis*, ut vocant, maritum homicidii accusabat; Patronus vero caussæ maritum defendebat. Neuter hic sana ratione, vel accusando vel defendendo, procedere potuisset, nisi, quid lochia sint, & quæ mala ex iis suppressis proveniant, prius intellexerint. Horum vero natura & mala ab eius obstructione provenientia, unde rectius addisci possunt, quam ex Medicina & præsertim consideratione anatomica mulieris gravidæ? Iunioribus enim ICtis, præsertim qui adhuc extra matrimonium vivunt, sæpius ne quidem lochiorum nomen, multo minus quid sint, aut qui mali effectus ab iis suppressis oriri possint, cognitum est, nisi in anatome, & speciatim in uteri, fœtus & partus explicatione. aut ex Medicina practica illud didicerint.

XLV. Ita duo caussarum patroni disputabant, *an primo concubitu virgo sive mulier impraegnari possit?* Maritus cum suo patrono infantem (qui, si a primo concubitu calculus instituebatur, iusto tempore natus erat,) ob hanc caussam, ac si mulier primo congressu impraegnari non posset, pro legitimo agnoscere nolebat. Verum generationis negotium ex anatome cognitum docet, nullum esse obstaculum vel caussam, quæ impediat, quo minus tam primo, quam altero aut tertio concubitu imprægnatio fieri possit; præsertim cum frequens experientia, etiam in iis puellis, quæ semel tantum concubuere, atque unico congressu sæpe

gravidæ factæ sunt, hoc satis confirmet, suoque quam maximo damno & dedecori docuerit.

XLVI. Sic Præfectus iustitiæ quidam *ex lacte in mammis alicuius feminæ reperto*, certissimum esse putavit, mulierem hanc clam haud pridem peperisse, & fœtum forte interfecisse, atque criminalem inquisitionem instituere volebat. Non damno curam & suspicionem viri huius pii, prudentis & circumspecti; quia recte inde partus nascitur suspicio. Interea tamen ICti ex Medicina hic discere possunt, quod in castissimarum etiam subinde virginum ac viduarum mammis lac, imo quandoque in infantibus recens natis, tam femellis quam masculis ipsiusque viris fuerit deprehensum, ut multæ testantur observationes apud scriptores obviæ; a) ubi certissimum erat, eos antea peperisse nunquam. Adeoque hoc signum solum, si alia certiora non concurrunt, *fallax esse & ad inquisitionem severiorem instituendam pœnamque afficiendam non sufficere.*

XLVII. Porro cum in foro quandoque oriatur *quæstio de hymene* aut *hymenis membrana*, decantato illo Virginitatis signo ac claustro, atque non pauci illud negent, vel saltem in dubium vocent; vel ICtus, qui anatomica non didicit, plane, quid illud sit, ignorat: illud tam in sectionibus iuniorum puellarum & virginum, quam in aliquot virginum uteris, quos in spiritu vini asservat, tam perspicue demonstrat D. Præses, ut ICtus, qui talia viderit, non modo discat, quid sit illud hymen; (id quod sine anatome ignoraret) verum etiam de eius vera existentia dubitare amplius non possit, nisi sensibus & experientiæ tot præstantissimorum virorum impru-

a) Hippocrat sect. V. aph. 39. *Berger.* in physiolog. p. 150. *Pantonus* in Anatom. p. 266. Sed *Spigelius* de formato fœtu cap. III. tanta copia lac in mamillis infantum vidit, ut eis pressis non secus atque nutrices procul eiaculentur ipsum lac.

prudens obloqui velit. Conf. quæ in Compendio ſuo Anatomico de hymene hoc ſcripſit.

XLVIII. Præter hæc ICti ex anatomes cognitione etiam adhuc ſequentem inſignem, imo ſumme neceſſariam utilitatem capere poſſunt, ut *in inquiſitionibus medico-legalibus*, inprimis in viſitatione cadaverum ex plagis vel vulneribus defunctorum, infantibusque, qui a matribus occiſi ſuſpicantur, & eiusmodi caſibus aliis *medicos ad hoc opus idoneos, anatomes ſcilicet & chirurgiæ probe gnaros*, imo peritiſſimos, ſi haberi poſſint, eligere valeant. a) Nam ICtus vel mediocriter in anatome verſatus, facile intelligit, *medicos anatomes* ignaros, *& adhuc magis barbitonſores aut balneatores vulgares ad inquiſitiones ſive perveſtigationes tales ineptos eſſe :* b) quia in ſectionibus confuſo modo procedunt, facile non lædenda lædunt, nomina partium & inprimis vaſorum ſanguiferorum ſæpiſſime non recte ſciunt, vel prorſus ignorant, atque ſic rem haud raro magis confundant quam illuſtrent; ita, ut Collegia Medicorum ſæpe nihil certi ex eorum relatione intelligere, adeoque nec tuto ſententiam dicere poſſint: ſicuti hac de re quam plurimæ querelæ apud AMMANNVM c) BOHNIVM d) aliosque videri poſſunt. Qui propterea etiam de multis iuſtitiæ præfectis valde conqueruntur, quod *in electione idoneorum Medicorum ſæpe tam imprudenter agant*, tamque graviter peccent, & quandoque vulgarem tantum aliquem chirurgum aut balneatorem, quicunque proximus eſt, vel primus occurrit, pro viſitatione & renunciatione conficienda, promiſcue accerſant; haud conſiderantibus, quod hi

a) Proprietates Medicorum ad ſectiones has apt. vid. in *Welſchii* ration. vulner. lethal. iudicio, cap. XV.

b) *Welſch.* ibid. *Amman.* prax. vuln. lethal. in præfat. p. 9. *Bohn.* in renunc. vuln. & de offic. med. dupl. *Dethardîng.* l. c. p. 32. aliique plures.

c) De vulneribus lethalibus, Medicina critica.

d) De renunc. vulnerum pag. 6. & alibi.

hi homines in anatome ſæpe magis rudes, quam ipſi præfecti, ad negotium tale graviſſimum, ubi de ſanguine humano agitur, inepti prorſus ſint. Ita enim iam ſupra tales retuli caſus, (XXVIIII) ubi iudices ad cadavera, quæ violenta morte interemta erant, examinanda, non niſi Chirurgum vulgarem accerſerunt, huiusque levi externæque tantum factæ inſpectioni plenam fidem habuerunt, atque ab ulteriori inquiſitione, quaſi re bene geſta, abſtinuerunt; cum nullus dubitem, ſi perveſtigatio a perito atque experto Medico fuiſſet inſtituta, rem longe aliter deprehenſam fuiſſe. Hi enim norunt, quod vulgo Chirurgorum incognitum eſt, læſiones lethales, præſertim fuſtibus inflictas, extus ſæpe vel leves videri, vel prorſus non apparere. Si vero interiora evolvantur, craniumque thorax atque abdomen aperiantur, a peritis eas læſiones, quæ imperitis latebant, modo facilius, modo maiori cura, detegi atque reperiri.

XLIX. Ex his, quæ hactenus diximus, ICti & præſertim Iudices quoque intelligere poſſunt, quod *nunquam ſoli chirurgo ardua talia negotia committenda*, neque in iudiciis eiusmodi renunciationes, ut validæ ac certæ, accipiendæ; quicquid etiam hic ſtatuant nonnulli haud ſatis cauti ICti, a) ſed potius reiiciendæ, & ut incertæ, dubiæ atque invalidæ pronunciandæ ſint; ne ſententia incertæ & ſæpe falſæ relalationi ſuperſtruatur: quemadmodum id Bohnius quoque iam diu monuit; b) præſertim quia nonnullæ inveſtigationes Medicis doctis, & in anatome etiam expertiſſimis ſubinde tantum negotii creant, ut omnem eorum ſcientiam & induſtriam requirant, Exempli loco ſit vulnus valde oblique & per diverſas partes tranſiens, quod anguſto gladio eſt inflictum, vaſaque non adeo magna aut obvia læſit, Huius

a) vid. commentatores Conſtit. Criminal. Carolin. art. 147.

b) De Renunc. vulner. pag. 45. ſeqq. Conf. & *Welſch.* de vulner. lethalit. cap. XV, *Ammannum*, *Teichmeierum* in Inſt. Medic. legal. aliosque.

progressus & natura ut rite detegatur, quamplurimum artificii sæpe requirit: sicuti illi, qui inquisitionibus talibus sæpius adstiterunt, optime norunt. Ita ante aliquot annos, ut Cl. Præses mihi retulit, iuvenis hic moriebatur ex vulnere angusto, quod in thorace intravit, & deinde oblique deorsum diaphragma & simul totum hepar penetravit, quo de vulnere sibi certe persuadet, si a vulgari Chirurgo, vel etiam a Medico in rebus anatomicis & chirurgicis non satis versató examinatum fuisset, verum eius progressum, partesque & vasa vere læsa, non facile satis accurrate detecta fuisse. Variis enim artificiis atque encheirisibus eiusmodi in rebus sæpe opus est, ad vasa læsa recte cognoscenda, quæ vulgo Medicorum atque chirurgorum non perspectæ sunt; a) alias non nisi falsa sæpe referuntur.

L. Quapropter Chirurgi, nisi singulari prorsus diligentia anatomen & usus partium excoluerint, sicuti tales nonnulli, sed pauci dantur, ut rationes sententiæ suæ idoneas dicere queant, (dum plerumque, ut doctissimus BOHNIUS recte monet b) *ne terminos quidem anatomicos enunciare aut scribere valent, multo minus ipsius artis sufficientem notitiam habent, vulneraque inter secandum non tam lustrant, quam faciunt, nec ad secandum, nec ad decernendum, omniumque minime, ad effati sui rationem reddendam, apti existunt*) ad renunciandum prorsus inepti habentur: atque hinc in sectionibus talium cadaverum adesse quidem possunt, verum, ut idem annuit, *nou ut sententiam suam, quæ plerumque temeraria est*, & ratione destituta, dicant, *sed ut in vilioribus ac sordidis quibusdam operibus Medicos adiuvent, sublevent, eisque, ubi eorum opem desiderabunt, inserviant.* Cadaver scilicet ante & post sectionem mundando, capillos auferendo, illud perlustratione finita, rur-

a) De quibus videri potest dissertatio de *subtilioris anatomes utilitate* sub Præsidis præsidio An. 1728. habita.

b) Renunc. vulner. p. 6.

rurſus conſuendo, aliisque in negotiis manus auxiliatrices ferendo, atque ut relationi Medici, ſi lubet, ſubſcribant, ſe vulnus ita, ut a Medico deſcriptum eſt, quoque vidiſſe, & ſic obſervatarum rerum teſtimonium ferant, ſive teſtem, non actorem conſtituant. Hancque etiam ob cauſſam, quando *Cl. Præſes ad cadavera talia aperienda & perluſtranda accerſitur, licet Chirurgi & balneatores adſint, ipſe tamen totam ſectionem & perveſtigationem ſuis manibus*, ut *omnia tanto accuratius peragantur, perficit :* ne forte ab eiusmodi hominibus incauta ſectione aut tractione plaga vel læſio quædam fiat, quæ non adfuit & facile reo imputetur; quia eas poſtea diſtinguere ſæpe impoſſibile eſt. Nam exempla non ſunt incognita, ubi in ſimilibus cadaverum luſtrationibus tam confuſo tamque incondito modo, ſecando temereque lacerando partes quascunque obvias, proceſſerunt rudes illi homines, ut poſtea & ipſi & alii, quodnam fuerit vulnus vel a ſe vel a reo inflictum diſcernere nequiverint; imo quandoque verum vulnus ne quidem invenire aut deprehendere valuerint.

LI. Ex eodem vero etiam fundamento ICti, anatomes gnari, agnoſcent, acta in eiusmodi rebus, *ſi ſententia a Medicis, nulli parti addictis*, ſive extraneis, ut vulgo dicunt, *deſideratur, ad Medicos, anatomen & chirurgiam probe callentes, transmittenda eſſe ;* nam profecto non perinde eſt, quibus negotium adeo grave committatur. Attamen toto die obſervamus, ICtos non nullos, ad anatomes & chirurgiæ neceſſitatem his in rebus non attendentes, ob propriam in anatome imperitiam, ad tales Academias vel collegia Medica, quæ ipſis primum in mentem veniunt, ſua acta temere transmittere; cum potius magna prudentia hic uti, talesque præ ceteris eligere deberent Medicos, qui has res optime intelligerent : ita enim ſententiam, cui tutiſſime fidere poſſent, optime adipiſcerentur.

LII. Atque hanc ipſam ob cauſſam adhuc illud monebo, ICtos & præſertim eos, qui ſimilibus in rebus iudicis

 offi-

officio funguntur, *ut in ſententiis diverſorum Medicorum circa vulneris lethalitatem diverſis*, (ubi ipſis alias fides eſt dubia) *illis Medicis maximam fidem habeant*, *quorum ſcientia in rebus anatomicis & chirurgicis magis nota eſt atque perſpecta*; ſive quos has Medicinæ partes præ aliis rectius intelligere norunt; ita enim tutiſſimi ibunt. a) Hanc etiam ob cauſſam Celeb. KRESSIVS noſter, *in diſſenſu Medicorum*, ait, *Collegium medicum diſſenſum componat*, *atque ſecundum principia artis perſpicue decidat*, *atque tunc huius iudicium ſequendum eſſe*. b) Ex adverſo autem, ſi Medicorum renunciantium aut iudicantium his in partibus peritia ipſis cognita non eſt, aut ſaltem dubia, merito in ſententia dicenda dubii quoque eſſe, atque *mitiorem*, *tanquam tutiorem viam eligere tunc debent.*

LIII. *Semper vero in diverſis Medicorum ſententiis mitiorem partem præferre velle*, uti hactenus vulgo ICti conſueverunt, *male actum eſſe puto*. Exempli loco pono Medicum, in anatome & chirurgia expertiſſimum, atque perſpectæ in his rebus & eruditionis & dexteritatis, vulnus aliquod pronunciare lethale; alium contra in his rebus parum aut nihil verſatum, cui neque vaſa aut partes læſæ, neque curationes tales æque cognitæ, illud non lethale affirmare; profecto hic ob inæqualem ſententiam, non huic, tanquam minus perito, ſed illi credendum; neque propterea mitiorem ſententiam, ut tamen vulgo fit, ſequendam eſſe puto; quia certi ſunt, illum rem melius hoc intelligere. Ideoque non tam mitiorem tunc, quam prudentiorem ſententiam ſequantur; alias contra ſcientiam ipſos agere exiſtimo. c) Axioma enim illud ICtorum, quando dicunt, *diſſentientibus Medicis* (in vulnerum lethalium negotio) *mitiorem ſemper ſententiam eſſe ſequendam*, in modo propoſito caſu atque ſimilibus locum

a) Conſentit *Wedel.* de efficac. dier. critic. in vuln. p. 41.
b) In comment. ad conſtit. criminal. art. 149.
c) Conſ. *Bohnius* de renunc. vulner. p. 7.

locum ſane non habet; ubi *non ad axioma, non ad malam conſuetudinem inveteratam, non ad vetus præiudicium, ſed ad ſanam rationem atque prudentiorum experientiam reſpicere*, eamque, ſicut ſapientiæ veros ac genuinos cultores decet, quales ſæpe laudatus THOMASIVS omnes ICtos eſſe vult, ſequi atque ab omnibus præiudiciis ſe liberare deberent.

LIV. *Neque etiam illo axiomate iuridico abutendum*, quando timidiores vel in ſententia ſua non ſatis firmi, in caſu, quem exercitatiores Medici, anatomici atque Chirurgi *lethalem arteque humana non ſanabilem pronunciant*, ex levi ſæpe cauſſa imo & puſillanimitate non lethalem vel ſaltem dubium haberi volunt, dicendo: *præſtare decem nocentes abſolvere, quam unum innocentem damnare*: haud conſiderantes, quod etiam nimia ſua timiditate in re exercitatioribus clara & certa Deum graviter offendere queant; utpote qui homicidas frivolos & temerarios puniri vult, *dum ſanguis occiſorum ad cœlum clamat atque vindictam deſiderat*, ſi levem ob cauſſam vulnus lethiferum pro non lethifero pronunciant. Eundem in modum ratiocinatur Imperator, quando ſequenti fere modo loquitur: a) Es meineten einige einfältige Leute/ Richter oder Urtheiler/ daß ſie wohl daran thäten/ wenn ſie wiſſentliche Ubelthäter dadurch ledig machen/ und denſelben das Leben retten wolten. Sie ſollen aber wiſſen/ daß ſie ſich ſchwerlich damit verſchulden/ dieweil ein jeder Richter und Urtheiler bey ſeinem Eid und Seelen Seeligkeit ſchuldig/ nach ſeinem beſten Verſtehen gleich und recht zu richten ꝛc.

LV. Cumque aſtutiores cauſſarum patroni multorum ignorantiam & puſillanimitatem probe ſciant, ut homicidas quoscunque etiam peſſimos a promerita mortis pœna liberent, nihil aliud fere ab aliquo tempore ipſis opus fuit, quam *ut caſus tales ad multas academias aut collegia medica*, imo etiam ad multos privatos medicos, & quidem ſæpe ſuppreſſis qui-

 bus-

a) Conſtitut. criminal. Carolin. art. 130.

busdam maximi momenti vel prorſus omnibus circumſtantiis, *transmittunt*, ſententiasque eorum expetunt; qua re aliter fieri vix poteſt, quam, ut unam alteramve ſententiam, præſertim ære quandoque comparatam, obtineant, vel extorqueant, quæ vulnus, a graviſſimis medicis mortiferum agnitum, non mortiferum pronunciat, & huic deinde ſuam defenſionem ſuperſtruunt. Sique tunc hanc ſententiam, tanquam mitiorem, ICti ſententiam dicturi præiudicio illo ducti, ſequuntur, graviter peccant in Deum & Imperatorem, atque turpiter falluntur.

LVI. Ita etiam fraudulenti cauſſarum patroni & homicidarum iniqui defenſores, in negotio vulnerum lethalium, & Iudices & Medicos vehementer ſæpe fallere ſolent: dum medicis quæſtiones proponunt de vulneribus lethalibus, quibus ſi generatim ſive in theſi, ut vocant, reſpondendum, vulnera tunc abſolute lethalia pronunciari non poſſunt; quia pauca in univerſum lethalia appellari poſſunt. a) Sin vero caſus ſpeciatim, ſive in hypotheſi, ut loqui amant, conſiderantur, non niſi abſolute lethalia appellari poſſunt. Quærunt, exempli cauſſa, ſummatim, *an vulnus hepatis, cerebri vel pulmonis abſolute lethale ſit?* nemo profecto ſapiens hoc ſimpliciter affirmabit; ſed potius negabit, atque *non omne vulnus hepatis vel pulmonis abſolute lethale eſſe reſpondebit.* Hoc reſponſum arripit patronus cauſſæ, addendo adhuc ex variis ſcriptoribus exempla vulnerum in his partibus curatorum, quæ mortem non intulerunt, (licet forte magis caſu, quam arte curata fuerint) atque ſic his ipſis iudicem in anatome non firmum, ita confundit, ut, memor axiomatum prædictorum, peſſimum etiam homicidam abſolvat. Quare periculoſum eſt fraudulentis eiusmodi quæſtionibus certe, ſive ut dicunt, *cathegorice* reſpondere.

LVII.

a) Conf. Frid. *Hoffmanni* diſſertat. de læſionibus externis, pag. 8.

LVII. Neque ego Præſes diffiteri poſſum, (nolo enim diſſimulare errores meos,) me ipſum hac ratione olim a cauſſarum patrono ſeductum fuiſſe: imo integra novi collegia, quibus hoc modo impoſuerunt. Res igitur valde periculoſa eſt, ut ICtus quilibet ſapiens facile agnoſcet, ſi talibus circumſtantiis mitiorem promiſcue, quando medici diſcrepant, ſequi vult ſententiam; ita enim fieret, ut contra præceptum divinum, & contra publicam ſecuritatem, nullus homicida amplius puniretur, ſed ut brevi impune quemcunque occidere liceret; quia patroni cauſſarum omnes homicidas ita liberare poſſent. Et idcirco cum Medicis tum ICtis, antequam ſententiam dicant, ſemper probe attendendum eſt, *an caſus integer, hoc eſt omnibus ac debitis circumſtantiis ſit propoſitus;* alias graviſſime errare aut iniuſtæ ſententiæ facile anſam dare poſſunt. Si enim, ut in exemplis antea prolatis continuemus, proponeretur caſus vulneris hepatis aut pulmonis, debitis ſuis circumſtantiis, ubi medium huius vel illius fuerit perforatum, vaſaque magna in his viſceribus diſſecta, nihil in curatione neque a medico neque ab ægro prætermiſſum, nihilque etiam peccatum, æger tamen vel brevi poſt, vel etiam poſt aliquot dies, non obſtante optima curatione obierit, tunc neminem eſſe vere ſapientum medicorum credo, qui aliter pronunciabit, quam quod talia vulnera hepatis & pulmonis, quia nullam curationem admiſerunt, lethalia vocanda ſint.

LVIII. Nam in univerſum hic moneo, *vulnera lethalia omnia illa* merito eſſe, *ubi vulneratus arte humana*, dum nihil, quod ars prudentibus medicis & chirurgis ſuppeditat, neglectum eſt, *ſervari non potuit*, *ſed ob vulnus ſine culpa vulnerati, vel alius tertii*, aut ſine interveniente novo fatali caſu moritur; a) licet iisdem in viſceribus læſi, nonnulli Dei aut naturæ beneficio evadant. Ceterum idem, quod de vulneribus

a) Conſentit hic nobiſcum ſæpe laudatus D. *Kreſſius* conſtit. crimin. art. 147

bus hepatis & pulmonis modo dixi, de variis aliis vulneribus dicere & probare facile possem, nisi nimiam prolixitatem vitare, aliisque de rebus necessariis adhuc agere vellem.

LIX. Disputatur nimirum non solum inter ICtos, sed ipsos etiam inter medicos, & nominatim quidem BOHNIVM & WELSCHIVM a) *utrum medicus & chirurgus, qui vulnerato vivo medebantur, ad cadaver inspiciendum adhibendi & ab administratoribus iustitiæ sectioni præficiendi, an alii postulandi.* BOHNIVS posterius sustinet, negatque, illis, qui percusso decumbenti medebantur, deponendi munus committi posse: „dum hoc ipso, ait, ubi de vulneris lethalitate per se ac per „accidens quæstio emergit, aut a percussoris defensore in li„tem trahitur, an illi in medela perite & secundum artem „egerint, horumve nihil neglexerint, hi de lethalitate eius„dem individui seu in propria caussa, i. e. lege artis mede„lam se administrasse, ac omnem diligentiam adhibuisse, te„stari seu indicare nequeant: nisi defensori ad lites inuti„les, & iudicem in sententia de homicidio ferenda contur„bantes occasionem suggerere malimus. Additque fragmentum ex responso sui collegii in eiusmodi casu dato, quo sustinetur; „*Melius esse, aliis Medicis & Chirurgis, quam qui vul„neratum curarunt, sectionem, inspectionem & renunciationem „committere*, præsertim ubi quæstio movetur, aut dubium o„ritur, vulnus per se an per accidens lethale fuerit? & an „Medicus & Chirurgus curationem legitime administrave„rint; quum hi in propria caussa testari rite non possint.

LX. Verum quam caute etiam hic procedere conatur BOHNIVS eumque sequentes, tamen eius *consilium minime probare possum*, neque illud in universum sequendum esse, varias ob caussas ICtis suadeo; nisi manifestum compertumque sit, Medicum & Chirurgum, qui curam gesserunt, his in rebus rudes esse atque ad accuratam sectionem ineptos: quia

a) Vid. *Bohn*, de renunc. vuln. p. 9. ut & de offic. medic. dupl. p. 560.

quia maiora, quam quæ BOHNIVS evitare ſtudet, incommoda poſt ſe trahere poteſt. E contrario mea fert ſententia, *Medicum & Chirurgum, qui vulnerato adſtiterunt, & artem ſuam rite callent, ſemper ſectioni intereſſe debere.* Si enim alius Medicus ad hanc rem perficiendam advocatur, facile talis poſtulatur, qui priori haud favet, imo eius inimicus eſt, iuxta notum illud: *figulus figulum, medicus medicum odit.* Proinde hic facile ex odio vel invidia, vulnus, quod abſolute lethale eſt, pro levi & non lethali deſcribere pronunciareque poteſt: ſolum ut priorem medicum contumelia afficiat, quaſi in curatione non legitime & ſecundum artis regulas proceſſiſſet. Quia itaque aliud grave incommodum, honoris & famæ ſcilicet medici curantis læſio, ſi BOHNII eiusque aſſeclarum ſententiam ſequi velimus, inde oritur, atque eo ipſo ſimul Iudex, dum alter medicus in relatione ſua ex odio a veritate recedit, falli poteſt, & ut ſimul ſuſpicio, quam BOHNIVS non ſine cauſſa prætexit, tollatur, convenientiſſimum eſſe exiſtimo, *ſi præter medicum, qui vulnerati curam habuit, etiam alius medicus, imo plures, ſi commode haberi poſſunt, ad ſectionem & inſpectionem advocentur, atque ut hi coniunctim hoc opus peragant;* ita enim vulneris conditio tanto melius perveſtigari, & utrumque incommodum præcaveri poteſt. Accedit, quod etiam medicus vulneratum curans, ex prægreſſa & iam antea cognita vulneris conditione, loco, ſitu, progreſſu, ſymptomatibusque in ægro obſervatis, ad quæ loca quam maxime ſit attendendum, novit; quæ alium medicum, qui vulneratum eiusque vulneris conditionem, dum viveret, non perſpexit, facile fugiunt, ita ut ſine illo dubium oriri poſſit, an vulnus ſatis accurate perſcrutatum fuerit. Et ut dicta clarius intelligantur, exemplo rem totam illuſtrabo a Cl. Præſide mecum communicato.

LXI. Ante aliquot annos *iuvenis gladio punctim vulnerabatur in dextro thoracis latere.* Gladius anguſtus intrabat

mox ſub papilla dextra ; vulneratus multum profundebat ſanguinis, & ad animi usque deliquium, eratque in villa ſine Medico aut Chirurgo usque in craſtinum, ubi ſumme debilis & ſine pulſu fere a Præſide advocato deprehendebatur. In vulneris exploratione ſtylus facile in cavum pectoris intrabat: deligatione vero facta, refocillantibus variis exhibitis, vires recuperavit maiores, de nullo malo in thorace, verum de aliquo tantum moleſtiæ vel levis doloris circa ſcrobiculum cordis ſenſu, loco duarum quaſi palmarum a loco vulneris, ſubinde conquerebatur. Ceterum vero per ſex integros dies ſatis bene ſe habere viſus eſt, ut ſpem magnam vitæ omnibus excitaret. Septima vero de maiori ſpirandi difficultate atque anguſtia præcordiorum conqueri cœpit, & octava, variis iisque maxime idoneis remediis incaſſum adhibitis, diem obiit ſupremum.

LXII. Quilibet fere ex loco plagæ inflictæ, facilique ſtyli in cavum thoracis introitu in cadaveris ſectione ſanguinem in thorace, gravemque læſionem in eius contentis partibus repertum iri autumabat. Verum aperto thorace una cum abdomine, nihil quicquam ſanguinis in illo, neque etiam primo aſpectu aliquid adeo mali in hoc obſervabatur. Cor & pulmones deprehendebantur illæſa atque integra, & adſtantes, quorum quamplurimi & inter hos etiam Medici fuerunt, in abdomine læſam partem ne quidem ſuſpicabantur. Iam ſi Medicus peregrinus, qui vulnerati curam antea non habuiſſet, Præſide abſente, ad cadaver viſitandum ſolus accerſitus fuiſſet, & præſertim in ſectionibus parum exercitatus, aut ſectionem ſoli cuidam eique ignaro Chirurgo commiſiſſet, facile fieri potuiſſet, ut veram læſionem non deprehendiſſet ; verum, quia nullum ex thoracis viſceribus aut vaſis maioribus læſum, neque ſanguinem hic extra vaſa profuſum inveniſſet, facile iudicare potuiſſet, non niſi externas ſive continentes thoracis partes læſas fuiſſe, adeoque

vul-

vulnus leve & per accidens lethale statuisset. Neque Collegia Medicorum perſpicaciſſimorum ex ſimili relatione aliter iudicare potuiſſent.

LXIII. Verum quia D. Præſes vulnerati curam habuerat, atque ipſum non adeo de ſymptomatibus pulmonis aut pectoris, quam de doloris ſenſu ſub ſcrobiculo cordis, id eſt in abdomine, conquerentem ſæpius viderat atque audiverat, illum locum curioſius perſcrutandum eſſe iudicavit: id quod peregrino Medico, harum rerum antea actarum ignaro, vix atque ne vix quidem in mentem incidiſſet.

LXIV. At ne Præſes in Bohnii animadverſionem ſive reprehenſionem iure incideret, *adhuc duos alios Profeſſores Medicos* arte peritos ad ſectionem accerſi curavit, eosque cum variis Chirurgis multisque aliis eruditis & ſtudioſis teſtes ſectionis eſſe voluit. Quare poſtquam nihil mali in thorace deprehendebat, atque ægrum maxime de dolore ſub ſcrobiculo cordis conqueſtum eſſe noverat, hepatis partem ſiniſtram, quæ ſub ſcrobiculo cordis dextro ventriculi orificio incumbit, curate elevabat. Quo facto, primum in ſuperficie ventriculi, ubi hepar ipſi incumbit, maculam ex atro rubicundam, inſtar ſanguinis coagulati, transverſum digitum latam, offendebat: ex qua ſuſpicio naſcebatur, ventriculum eſſe læſum. Verum cum ventriculus una cum inteſtinis non collapſus, ſed aëre diſtentus atque repletus eſſet, neque premendo concideret, iure colligebat, nullum in ventriculo aut inteſtinis vulnus eſſe. Proinde hepar adhuc magis a ventriculo diducebat: ſic tandem inter hunc & hepar magna ſanguinis extra vaſa prolapſi atque coagulati hepatique & ventriculo tenaciter adhærentis copia occurrebat, quem non niſi multo labore partim digitis, partim ſpongia, aqua calida ebria ab viſceribus hiſce removere poterat. Magna vero parte ſanguinis huius tenaciſſimi remota, nullum tamen adhuc vulnus patebat; donec tandem magna patien-

tia & accuratione, omni ſanguine, qui coiverat, abſterſo, vulnus in infima ſive concava hepatis parte inquiſitione laborioſiſſima obſervaret, quod omnibus adſtantibus, præcipue tamen Medicis, Chirurgis atque iuſtitiæ præfectis oſtendebat. Apparebat hoc magnitudine pollicis transverſi, atque nullo negotio vulneri huic digitum immittere poterat.

LXV. Vt vero progreſſum totumque iter usque ad principium ſive os vulneris inveniret, ſtylum longum obtuſum inferiori huic vulneris ori leniſſime, ne quid læderet, immittebat, curſumque inveſtigabat; ita factum eſt, ut absque ulla vi ſtylus hic per ſuperiorem & convexam hepatis partem, quaſi e medio prodiret, (ubi vulnus transverſum digitum latum apparebat) atque ſimul ſimile vulnus in ea diaphragmatis parte, quæ ſextæ coſtæ veræ, haud procul a papilla dextra adhærebat, indicaret, unde deinde via ad externam vulneris oram facile pateret; id quod omnibus præſentibus probe attendendum rogabat: ſic, ut iam omnes præſentes totum eumque continuum vulneris tractum cognoscere, atque de vulneris conditione iudicare poſſent, quod ſcilicet ita ſe haberet.

LXVI. Gladius, ut iam diximus, mox ſub papilla dexſtri lateris intrabat thoracem. Inde vero, ſine pulmonis læſione, mox iuxta coſtam ſextam veram deorſum per diaphragma & huic ſubiacens hepar penetrabat, ſic ut hoc a parte ſuprema ad infimam atque concavam usque omnino perforaret: ubi etiam illa ſanguinis concreti copia reperiebatur, qui ipſum etiam lienem, quemadmodum ulteriori inveſtigatione deprehendebat, tegebat & quaſi involvebat ſive tenaciſſime obducebat.

LXVII. Atque *ut, quæ vaſa læſa aut diſſecta eſſent, inquireret*, adſtantibusque oſtenderet, quod eiusmodi in caſibus ſine inſigni anatomes peritia non facile fieri poterit, ſicut ex mox dicendis patebit, trunci venæ portæ partem inferiorem

quæ-

quærebat,(quem in anatomicis ſectionibus non excercitati vix cognoſcunt aut deprehendere poſſunt) vulnuſculum ipſi infligebat, tubulum anatomicum immittebat, aerem per hunc verſus hepar inflari iubebat, ſpectatoresque attendere rogabat; ita omnes videbant, quomodo aër per tubum iniectus per vulnus hepatis tam ſuperius, quam inferius, confertim cum ſibilo bullulisque multis erumpebat. Ex quo experimento omnes anatomes periti cognoſcere poterant, *ramos inſignes venæ portæ*, (quippe quæ per medium hepatis maximos diffundit ramos) *in hepate læſos eſſe*, a quorum vel ſola læſione homini utplurimum moriendum eſt. Verum quoniam vena quoque cava ramos multos & amplos per medium hepar demittit, etiam inquirere opus eſſe iudicavit, an etiam hi ſint læſi: id quod rurſus ſine vaſorum horum ac peculiaris encheiriſeos notitia, (quæ vero vulgares Medicos & chirurgos plerumque latent) fieri non poteſt. Nam quid vena cava, quid vena portæ ſit, utplurimum ignorant; multo minus noſſe ſolent, ubi hæ venæ ſitæ, aut quomodo inveſtigandæ ſint: omnium minime vero quid cum iis agendum: quia hæc res ſive encheiriſis vix ullo in libro, quantum ego nunc recordor, deſcribitur aut docetur. Et ſi hepar ad vulnus usque diſcindunt, vident quidem ora vaſorum; verum cognoſcere atque diſtinguere non poſſunt, utrum rami ſint venæ cavæ, an venæ portæ.

LXVIII. Quoniam vero collegia Medicorum in relatione vulneris deſiderant, *ut ſpeciatim vaſa læſa a Medicis deponentibus indicentur*, ut tanto accuratius de vulnere iudicare poſſint; hinc etiam experimentum inſtituit, *an venæ quoque cavæ rami in hepate læſi eſſent*. Vt hoc inſtitueret, truncum venæ cavæ in abdomine infra hepar circa lumborum vertebras quæſivit, eum incidit, & tubulum applicavit; verum ne flatus via recta ad cor abiret, heparque præterlaberetur, (id quod fieret ſine nova encheiriſi, hactenus etiam, quantum novi ab aliis non deſcri-

pta) mox ſupra diaphragma, inter hoc & auriculam cordis dextram truncum venæ cavæ digitis a miniſtro comprimi curavit; ita enim fit, ut aër per tubulum iniiciendus hepar non præterlabatur, verum omnis illud ingrediatur. His itaque cautelis præmiſſis, iuſſit, ut adſtans ſtudioſus Medicinæ venam cavam, firmato probe tubulo, inflaret. Quo facto, copioſum rurſus flatum cum ſibilo & bullis quamplurimis per utrumque hepatis vulnus prorumpentem viderunt præſentes. Quodque ut adhuc clarius viderent, aquam ſuperfundi vulneribus hepatis, flatusque iniectionem iterandam præcepit; ita per aquam affuſam aër e vulneribus egrediens abundantiſſime conſpiciebatur: *Sicut ex his ſatis intelligere quilibet potuerit, & venæ portæ & venæ cavæ ramos in hepate inſignes læſos eſſe.* Eaque omnia tam lente tam circumſpecte geſſit, ut omnes adſtantes rem ita, ut deſcripſi, ſe habere quam manifeſtiſſime conſpicerent; nullusque eſſet, qui de veritate huius rei vel dubitare, vel obloqui auſus eſſet.

LXIX. *Omnia hæc*, quemadmodum acta erant, *poſtea ad iudicis informationem in chartam coniecit, atque a præcipuis Medicis, qui præſentes rem totam una accurate conſpexerant, tanquam teſtibus fide dignis, renunciationem ſive relationem ſubſcribi* curavit; quibus denique etiam chirurgus, qui in vilioribus operibus manus auxiliatrices porrigebat, nomen ſuum ex conſuetudine addebat.

LXX. Dico ex conſuetudine: *nam non neceſſarium eſſe exiſtimo, ut, ubi periti Medici vulneris debitam explorationem & renunciationem fecerunt, Chirurgus vulgaris aut balneator nomen ſubſcribat ſuum;* quaſi relatio tunc maiorem fidem maiorisque auctoritatis eſſet, ut nonnulli ICti male credunt: quia, ut ſupra iam dictum eſt, utplurimum parum aut prorſus nihil his de rebus, quid ſcilicet vena cava, quid vena portæ ſit, & quomodo horum rami per hepar diſtribuantur, quales encheiriſes ad has læſiones cognoſcendas ſint adhibendæ, aut

aut quare hæ læſiones mortem inferant, intelligunt. Hinc quando ſe ſubſcribunt, (ſermo mihi eſt tantum de imperitis quemadmodum maxima eorum pars eſt) hoc non ex neceſſitate, ſed tantum ex conſuetudine hic fit; teſtanturque de rebus, quas vel non, vel ſaltem non ſatis comprehendunt, & affirmant, quod Medici vel affirmarunt vel negarunt: nam rariſſime, ut iam ſupra monui, Chirurgus atque multo adhuc rarius balneator deprehenditur, qui omnia, quæ in vulnerum lethalium negotio ſcitu ſunt neceſſaria, ſatis intelligit. Imo multi Medici ſunt, qui his in rebus non ſatis verſati deprehenduntur: quibus propterea WELSCHIVS a) ſuadet, ut talium cadaverum ſectionem, quia facile errare poſſent, (errare vero hic periculoſiſſimum eſſet) ſerio declinent.

LXXI. Hæc omnia tam prolixe expoſui, primo, ut tanto melius inde cognoſcatur, *ſententiam Bohnii, viri ceterum prudentiſſimi, qui Medicum curantem a ſectione huiusmodi cadaverum excludi vult, non eſſe ſequendam;* præſertim ſi Medici huius & ſcientia & dexteritas anatomica ſatis perſpecta eſt: quia alias ſine hoc Medicus peregrinus, inprimis non ſatis peritus, aut prorſus in re anatomica rudis, graves errores in vulnere graviori perveſtigando committere, Medicoque, qui curationi præfuit, magnum famæ detrimentum inferre poſſet. Neque credo, BOHNIVM unquam æquo animo ferre potuiſſe, ſi Magiſtratus in tali negotio ipſum a ſectione & inſpectione cadaveris, cuius antea Medicus fuiſſet, excludere, aliique præſertim non ſatis perito, aut qui amicus eius non eſſet, negotium hoc committere voluiſſet: quia talis Medicus Medico, qui ægrum curavit, multas turbas, magnumque nominis detrimentum ſua vel imperitia vel malitia, ut iam dixi, concitare poſſet. *Quare melius imo multis in caſibus valde neceſſarium* eſſe arbitror, ut Medicus, qui curavit,

a) In Rationali vulnerum lethalium iudicio.

ravit, sectionem atque investigationem perficiat; præsertim si in sectionibus probe est exercitatus.

LXXII. Attamen, ut Magistratus aut iudex omnem, quæ forte metuenda esset, avertat atque præveniat fraudem, periculum sive incommodum, quod BOHNIUS in nonnullis iure metuit, & res rite, prout est, pervestigetur, atque postea describatur, alterum *pluresve Medicos alios peritos si haberi possint, ad inspectionem priori adiungat;* qui probe una vulneris naturam & constitutionem examinent, atque sic simul renunciationem sive relationem efficiant, ita fraus haud facile est metuenda.

LXXIII. Atque hanc ob caussam *non improbandus est mos, qui nonnullis maioribus in urbibus Germaniæ*, ut Francofurti ad Mœnum in patria mea, Norimbergæ aliisque locis, *in usu est: ubi semper plures e Medicis præcipuis*, quos *Physicos* vulgo sive *Poliatros* appellant, una cum optimis Chirurgis cadaverum inspectionem simul perficiunt, omniaque probe perpendunt; unde tandem relationes provenire solent fide dignissimæ, quibus & Collegia Medicorum Academica & Iuridica tutius, quam singularibus, præsertim de quorum scientia certi non sunt, fidere possunt. Idcirco varii ICti iam monuerunt, ut plures Medici, si haberi possint, anatomes periti convocentur, ut eiusmodi inspectiones simul perficiant. a) Cumque in constitutione criminal. Carolina statuatur, ut unus vel plures Chirurgi interesse debeant, (wund-ärtzte) id est, qui vulnera recte curare sciant, Medici vero boni hodie id quam optime noscant; sequitur, hos non solum chirurgorum nomine hic intelligendos, verum etiam ad hoc negotium potissimum adhibendos esse.

LXXIV. In *minoribus vero urbibus* & oppidulis, ubi tantummodo unicus Medicus, itemque in sectionibus, quæ in pagis, aut ubi nullus Medicus est, peragendæ, aut etiam alias,

a) Vid. *Tenzel.* diss. de inspect. cadav. iudiciali pag. *19.* & *21.*

alias ubicunque, *ubi Medicus, qui ægrum curavit, a iudice* vel *ſuſpectus* vel *non ſatis idoneus iudicatur*, ut ſectionem perficiat, vel ſi iudex alias ob cauſſas (quæ quandoque graves & prægnantes eſſe poſſunt) *alium adhuc Medicum anatomes peritum præſentem eſſe vult*, Medicus ordinarius illum lubens ad ſectionem admittere debet.

LXXV. *Nunquam vero Medicum*, qui *curam adminiſtravit, ut iam diximus, ab inſpectione*, ob ſupra indicatas graves rationes, *prorſus excludendum eſſe cenſeo ;* quia ex ſymptomatibus, quæ adfuerunt, atque ex vulneris viſitatione talia ſæpe ſuggerere poteſt, quæ aliis, qui hæc ignorant, ægrumque durante morbo non viderunt, licet ceterum optimi ſint Medici, in mentem non venirent: quo fieri poſſet, ut facile res aliqua magni momenti prætermittatur, & male deinde de ea & medico, qui curavit, iudicetur.

LXXVI. Ex dictis & præſertim exemplo ante allato conſtare quoque poteſt, quam utile & neceſſarium ſit, *ut inſpectiones cadaverum a viris in ſectionibus peritiſſimis fiant*, ne quid temere lædatur aut negligatur ; ſed omnia debitis artificiis & cautelis inveſtigentur, ut veritas in re adeo ardua rite cognoſcatur. Quapropter Magiſtratus aut iuſtitiæ præfecti, *ad ſectiones eiusmodi perficiendas, viros in rebus anatomicis probe verſatos*, imo verſatiſſimos, ſi haberi poſſint, accerſi curent. Nam male ſæpe eiusmodi inſpectiones ab iis Medicis perficiuntur, qui in ſectionibus non ſunt exercitati, & cadaver occiſi ne quidem tangunt ; verum e longinquo tantum, ne fœtor forte nares eorum delicatas feriat, illud aſpiciunt, & chirurgo ſæpe ſatis inexperto vel ſeni, tremulo, aut acie viſus deſtituto, ſectionem committunt, illique plenam fidem adhibent.

LXXVII. Occaſione vero huius defuncti, qui octavo a vulnere inflicto die moriebatur, præiudicium aut rectius error quidam vulgaris *de diebus criticis* in vulneribus hic a nobis examinandus atque excutiendus eſt, qui ubique fere adhuc viget. Vulgo enim putant & dicunt eiusmodi in caſibus, *ſi mortuus nonum diem ſupervixiſſet*, (alii ſeptimum

 diem

diem, alii multo longiorem terminum ſtatuunt) *vulnus non amplius lethale haberi*, neque vulnerantem tum pœna ordinaria capitis puniri poſſe. a) Novi quoque inter alios WELSCHIVM aliosque & ICtos & Medicos a PAVLLO ZACHIA b) ut videtur, deceptos quondam ita & ſenſiſſe imo adhuc hodie ita ſentire. Speciatim vero WELSCHIVS c) ſequenti modo hac de re loquitur : „Si qua in parte vulneratus graviter „nec ſtatim, nec paulo poſt, nec horarum aliquot moriatur „ſpatio, ſed a primo vulneris die ad quartum, a quarto ad „ſeptimum, & a ſeptimo ad nonum usque, tanquam inter-„calarem criticum vivus remaneat, vulnus ſimpliciter lethale „non eſt. Ratio, quia terminus iſte, nonus puta dies, in-„dicat, vulnus vel non magnum æque, nec profundum ma-„xime, nec nobili, vel ad vitam ſimpliciter neceſſariæ parti, „eſſe inflictum ; vel tamen, quod tot dierum (ſolent enim „ut plurimum intra id tempus apparere accidentia, tum bo-„na, tum mala, quæ poſt accepta talia vulnera ſupervenire „conſueverunt) ſpatio ſive a natura, in ſanis & robuſtis, „ſponte ; ſive concurrente Medici, ac Chirurgi ope, & con-„ſilio, etiam maxima ſolent curare vulnera, cum tertio ple-„rumque vel quarto ad ſummum vulneris die, ſuppuret „vulnus, ac dolor & febris , aliaque remittere ſoleant ſym-„ptomata, & materia vel pus coctum, & laudabile efficiatur, „donec brevi temporis ſpatio vulnus conſolidetur plane, vul-„neratusque ita reſtituatur integre. Vnde non male con-„cluditur, pergit *Welſchius*, eum qui vulneratus graviter, poſt „nonum tandem moritur, non mori ſimpliciter ex vulnere „ſed ex ſymptomatibus & accidentium ſupra relatorum ut-„plurimum congerie.

LXXVIII. Verum cum WELSCHIVS *ſuam ſententiam ſuperſtruat vanæ dierum criticorum antiquorum doctrinæ*, quæ falſa abſona & nullius momenti a recentioribus deprehenſa, [illegible] atque

a) Conf. *Wedel.* diſſertat. de Efficac. dierum criticor. in vulner.
b) Quæſt. Med. Legal. Lib. V. tit. II. quæſt. V. No. I.
c) De vuln. lethal. cap. XVI. in ſimul hic quoque citat *Foreſt.* lib. 6. obſ. 8. in ſcholio.

atque hinc in univerſum merito & recte exploſa eſt, a) ideoque multo minus in vulneribus diebus his peculiarem aliquam vim ſive efficaciam tribuere atque graviſſimum negotium, vitam concernens humanam, inde ſine erroribus graviſſimis expedire poſſumus; cum ſatis obſervatum uſuque comprobatum ſit, certis diebus & præcipue nono, nullam maiorem vim neque ad vitam, neque ad mortem ineſſe, quam aliis diebus: dum non ſolum in febribus aliisque morbis, verum etiam in vulneribus homines æque multos, aut adhuc plures, aliis, quam diebus ita dictis criticis, & præcipue nono mori conſpicimus.

LXXIX. Si enim naturam vulnerum quorundam penitius examinamus, *non nulla ob partem læſam, magnitudinem vulneris, ægri conſtitutionem* diverſam, aliasque circumſtantias *mortem cito, alia tardius eam inducere cognoscemus*. Nam ſi arteria magna, vena cava, cor eiusve ventriculi, arteria aut vena pulmonalis, pulmo ipſe magno vulnere læduntur, confeſtim plerumque, intra paucorum minutorum vel horarum intervallum, hominem iugulant. Alia vulnera parva harum earundem partium mortem quidem quoque, at tardius poſt ſe trahere, nuncque unius, duorum, trium, quatuor, ſeptem, novem aut plurium dierum ſpatio interficere. Ita & vulnera in hepate, liene, renibus, inteſtinis, cerebro, magna, præſertim quæ maxima eorum vaſa læſerunt, cito etiam & quandoque intra pauca momenta, horas, dies interficiunt. *Alia vero, ubi vaſa minora in his læſa, tardius hominem* ſanguine exhauriunt: adeoque diutius vitam trahere permittunt. b)

 LXXX.

a) Vid. *Van der Velde* Archiatri Haſſiaci, & Profeſſ. Marburgens. de diebus criticis, ſpeciatim vero poſt *Ammannum*, qui eos *nugas* appellat, *Bohnium* de vuln. renunc. *Wedel.* de Efficacia dier. criticor.

b) Conf. *Klesnius* celeb. Roſtochienſium ICtus & Ducis Megapolitani poſtea Cancellarius, qui in Diſſ. de *Diebus criticis*, ob easdem, quas indicavimus rationes, certos dies in vulneribus fixari poſſe negat: cum quo etiam conſentit cel. *Kreſſius* noſter l. c. artic. 147. atque *Dethardíng*. l. c. p. 18. qui ait: unanimi conſenſu hodie lethalitatis iudicium ex dierum numero ſpernitur atque ridetur.

LXXX. Quoniam vero etiam hominem tandem interimunt, non video, quare *vulnera tardius interficientia*, mortem tamen certe inferentia, non æque mortifera dicenda & habenda ſint, quam illa, quæ primo, ſecundo, quarto, ſeptimo, octavo aut nono trucidant. *Pœna enim mortis a Deo non ad certos dies reſtricta eſt, ſed ad factum ſive homicidium reſpiciendum;* atque mens & intentio præcepti divini, ut, qui homicidium commiſit, id eſt, qui alterum ita læſit, aut tale vulnus inflixit, quod lethiferum eſt, ſive quod arte humana vulgo cognita, ſanari non potuit, mortemque utplurimum certe poſt ſe trahit, capite puniatur, nullo habito ad tempus mortis ſive dierum numerum reſpectu; dummodo vulneratus ob vulnus ſine ſua aut alterius culpa mortuus eſt, ſive mors mox ſequatur, ſive altero, tertio, ſeptimo, nonove die, ſive etiam tardius. Nam *nonnullorum vulnerum natura ita comparata eſt, ut non cito interimant, ſed tarde; attamen utplurimum certe.*

LXXXI. Ita exempli gratia vulnus cordis, cerebri, pulmonis, hepatis, lienis, inteſtinorum, ventriculi, non adeo magnum, ubi vaſa magna non ſunt læſa, non ſemper cito; attamen tarde, nullo vero certo die interficit. Interea tamen ſi læſus inde moritur, absque ſua, Medici, Chirurgi aut alterius culpa, nullam ſane video rationem, quare vulnerans, qui mortem vulnerato intulit, atque ſic homicidium commiſit, prorſus non aut minus puniri debeat, quam ille, qui vulnus inflixit, unde vulneratus primo, tertio, ſeptimo vel nono die obiit: nam uterque homicidium commiſit, uterque enim vulnus lethiferum fecit. Ideoque ob idem delictum, eadem pœna a Deo homicidis impoſita eſt, nulla dierum facta mentione; quippe quæ dierum diſtinctio ex mero præiudicio, populari errore, falſa vulgi ſuperſtitione, aut hypotheſi; at nullo modo e ſana ratione, multo minus ab experientia, ut abunde monſtravimus, ortum duxit.

LXXXII. Rationes etiam, quas WELSCHIVS pro nono die adducit, & primo, quod nimirum *terminus iſte, no-*

unus ſcilicet dies, indicet, vulnus vel non magnum, vel non profunde inflictum eſſe, ſi rite conſiderantur, non magni aut nullius prorſus ſunt momenti. Nam licet vulnera hæc, ubi ægri nonum diem ſuperant, plerumque vel non adeo magna ſint, vel non valde profunda; tamen ſi curari nequeunt, licet æger & chirurgi omnia quæ neceſſaria faciant, quemadmodum ars in partium internarum læſionibus, ubi manibus & medicamentis acceſſus denegatur, parum imo nihil ſæpe præſtare poteſt, atque læſus ex tali pulmonis, hepatis, lienis, cerebri, inteſtinorum vulnere die decimo aut adhuc tardius moriatur. An non homo hic ob vulnus mortuus eſt? an vulnerans ſive lædens non eſt cauſſa vulneris inſanabilis & mortis? an non hanc ob cauſſam æque puniendus, quam ſi citius mortuus fuiſſet? aut quid rei eſt, cur talis vulnerans, qui homicidium, ubi mors tantum tardius ſecuta eſt, commiſit, impunis eſſe debet. Hoc profecto ſanæ adverſatur rationi, *hoc contrarium eſt ſacris litteris & præcepto divino*, quæ fictam hanc dierum diſtinctionem non agnoſcunt. Hæc enim commentum putum purum videtur eſſe patronorum cauſſæ, ut ſimpliciores iudices frivola tali ratione fallant, atque homicidas, valde ſæpe temerarios, a pœna vitæ liberent.

LXXXIII. Adeoque opus eſt, ut prudentes ICti e ſaniori medicina hanc rem rectius percipiant, ſeque vanis eiusmodi ratiunculis haud ſeduci patiantur. Sive enim quis alterum parvo ſive magno vulnere, profundo ſive minus profundo interimat; *ſufficit ad vulnus lethale conſtituendum, quando vulneratus mortuus eſt, & arte rite adhibita ſervari non potuit.* Quando vero contingit, ut quis etiam vulnere graviori læſus quandoque evadat, tunc lædens etiam non punitur. Contra ſi læſus non evadit, ſed moritur ob vulnus inflictum, vulnus iure ac merito lethale pronunciandum, *atque mors, ſive ea citius ſive tardius contigerit, vindicanda ac puniendà eſt:* nonusque dies ſive quiscunque alius, facultatem illam imaginariam non habet, ut ex lethali vulnus non lethale facere poſſit.

LXXXIV. Neque homicidam a pœna abſolvit, *quando in vulnerato poſt diem nonum mortuo non nobilis, vel ad vitam ſimpliciter neceſſaria pars læſa eſt.* Hæc enim circumſtantia quidem mortem protrahere poteſt & ſolet; attamen eam non prorſus avertere. Sive enim læſus moriatur ob vulnus partis nobilis, ſive ex vulnere partis ignobilioris, verbi gratia lienis, pancreatis, meſenterii, vaſis cuiusdam hypogaſtrici, meſenterici, aut alius cuiusdam minoris in abdomine, thorace vel cerebro; *ſufficit, quod vulneratus ſine ſua culpa ex hoc vulnere mortuus ſit, & medela rite adhibita, reſtitui non potuerit. Lethale enim vulnus recte & merito* nobis audit cum SENNERTO a) ipſo WELSCHIO b) aliisque *vulnus, quod curari non potuit a peritis Medicis & Chirurgis*, ægerque nullam culpam admiſit. Ab eventu enim vulnera lethalia denominanda eſſe recte ſtatuunt, dum curari non potuerunt, & tamen nullus error vel curantis vel curandi, aut impedimentum ſingulare ſanationem impediens intervenerit.

LXXXV. Nam *licet quandoque non nulli graviter læſi ex vulnere huius vel illius partis etiam nobilioris, ut pulmonis, hepatis, cerebri &c. evadant*, ut exempla apud auctores proſtant, quæ a patronis cauſſarum pro defenſione homicidarum plerumque adduci ſolent; tamen inde non ſequitur aut concludendum eſt, vulnus in hoc, qui inde mortuus eſt, non lethale fuiſſe: magnaque proinde cautione opus eſt, ne Medici aut ICti falſis eiusmodi ratiociniis aut ſophismatibus quorundam decipiantur, aliterque quam res, conſcientia & iuſtitia exigunt, de talibus vulneribus iudicent. Revera enim exempla talia, dum unus vel alter e vulnere cerebri, pulmonis, hepatis, inteſtini, &c. evaſiſſe legitur, nihil probant, nullamque regulam ſive legem conſtituunt: quia tales non arte, ſed forte fortuna, aut, ut VALLERIOLA loquitur, c) *ſingulari Dei gratia, ac naturæ miraculo, convaluerunt*, [illegible] atque

a) De prognoſt. vuln. p. mihi 370. b) De vulner. lethal. circa finem.
c) Lib. IV. Obſerv. 10. conf. ſimul *Sebiz.* in exam. vuln. part. diſſim. p. I, theſ. 105. & *Spigel.* de human. corp. fabr. l. 8. Cap. 6.

atque ſic in aliis lethalia vulnera in non lethalia mutare nequeunt. *Miracula enim ſubinde quaſi fiunt in Medicina ;* quæ vero ordinariam & conſuetam naturæ viam ſive legem non invertunt. *Illaque vulnera hinc merito lethalia habenda & pronuncianda eſſe, quibus læſi, absque ſua aut medentium culpa, plerumque moriuntur*, cum Clar. BOHNIO a) ſtatuimus ; licet etiam curatorum nonnullorum exempla adduci queant, & quandoque etiam adhuc contingant, quæ profecto miraculis ſæpe ſunt ſimilia, arteque præſtari non poſſint. b) Quemadmodum poëta hac de re eleganter canit apud HILDANVM c)

Non audita loquor, narranti credite ; vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat Juvenis, medio cui vulnus adactum
Eſt capiti ; cerebri parsque reciſa fuit.
Ille tamen vivit. *Si credas, arte Melampi*
Id factum, peccas ; hic Medicina ſilet.
Monſtra ſed in morbis Arabum flos ille ſophorum d)
Quod fieri dixit, re patet apſe palam.

LXXXVI. Denique *ad vanitatem noni diei aliorumque dierum criticorum in vulnerum negotio adhuc uberius demonſtrandam*, nonnulla *exempla producam* vulnerum abſolute lethalium, in quibus læſi non cito aut brevi mortui ſunt, ſed frequenter diem nonum, imo nonnullas hebdomades quandoque aut menſes ſupervixerunt. Ita WEDELIVS exemplum vulneris cordis recenſet e) ubi læſus novem dies & octo horas vixerat, aliudque capitis, ſex hebdomadum, aliud vero venæ iugularis internæ novendecim dierum, quæ tamen a Lipſienſibus lethalia fuerunt declarata. Ita DETHARDINGIVS f) læſionem cerebri refert lethalem, ægro ultra novem hebdomadas ſuperſtite, aliaque eiusmodi tarde interficien-

a) De vulner. lethal. b) Conf. *Galen.* comment. in Aphor. 18. Sect. VI.
c) *Hildan.* obſ. chirurg. Cent. I. Obſ. 13.
d) *Averrhoes*, Medicus celebris Arabs.
e) Diſſ. de Effic. dier. critic. in vuln. p. 27.
f) Lib. ſæpe citato p. 42. & 48.

cientia. Neque desunt varia apud SCVLTETVM, HILDANVM, itemque in Ephemeridibus Nat. Curios. de vulneribus capitis exempla, ubi ægri diu post vulnus inflictum demum obierunt: in quibus tamen post mortem sanguis corruptus aut pus in parte quadam cranii aut cerebri deprehensus fuit, unde nulla arte educi potuisset; adeoque necessario tandem, putredine cerebrum corripiente, mortem intulit. *Quoniam vero eiusmodi vulnera sanari non possunt & mortem inferunt*, licet tarde; tamen unice ob vulnus hoc mortuus est læsus, nullaque servari potuit arte. Igitur necessario inde sequitur, vulnera talia etiam lethalia vocanda esse, licet vulnerati diem nonum supervixerint.

LXXXVII. Ita *ex vulnere non nimis magno hepatis, lienis, vesiculæ fellis, intestinorum &c. vulnerati plerumque non cito moriuntur*, quia sanguis, tanquam fons vitæ, non subito perditur; verum vel sanguis, vel bilis, vel chylus ex his partibus sensim in abdomen destillant, quæ per plures sæpe dies nullum ægro, vel saltem valde exiguum incommodum inducunt: denique tamen putredine concepta, vel aliis de caussis mortem creant. Quis vero prudens hodie hæc vulnera, quæ ab optimis etiam Medicis atque Chirurgis, licet vulneratus optime se gerat, curari plerumque nequeunt, postquam læsus inde mortuus est, absque ullo vel a se vel a Medico aut Chirurgo commisso errore, non pro lethalibus habebit, dum sua natura plerumque lethum inferunt? præsertim quia hæc vulnera sæpe ita sunt constituta, ut primo nullis signis cognosci queat, sanguis, an aliquid aliud peregrini in cavum abdominis effusum sit. a) Deinde si etiam sciremus, peregrina eiusmodi effusa in abdomine hærere, nulla tamen hactenus cognita arte aut ratione sæpe educi posset; præsertim quia haud raro tam crassus, glutinosus viscidusque est, & tam arcte partibus internis adhæret, ut cum nulla ratione separare aut educere valeamus, quia manibus instrumentisque accessus denegatur. LXXXVIII

a) Conf. *Slevogti* diss. de vulner. exploratione.

LXXXVIII. In exemplum huius rei proponam rursus illius vulnerati, de quo supra (LXI) diximus, cui infra papillam dextram vulnus inflictum, quod inde e thorace descendebat per septum transversum & totum hepar indeque sanguis effusus partim intra hepar, ventriculum & lienem, partim in pelvi abdominis post mortem deprehendebatur. Vulnerato adhuc vivente nulla certa aderant indicia, hepar læsum esse, quia vulnus prope papillam thoracem penetrabat, atque stylus in huius cavum immitti poterat: multo minus ullo signo sanguinem in cavum abdominis effusum esse constabat. Imo si etiam coniecturis gravibus, aut signis certis gladium in abdomen penetrasse & sanguinem in abdomine hærere constitisset, quomodo ille e vulneris ora in thorace educi potuisset? dum omnis ille sanguis, præsertim valde concretus, atque ventriculo, lieni & hepati tenacissime adhærens, a) tam ex sinistro latere, quam ex pelvi per diaphragma in dextro thoracis latere educi debuisset: quod profecto nulla hactenus arte fieri potest; imo hoc unquam fieri posse, si partium harum constitutionem, situm ac naturam rite cognoscimus, prorsus impossibile videtur.

LXXXIX. Igitur, quia hic æger, cui totum hepar satis magno vulnere, & quidem in medio & quasi centro perforatum fuit per integrum octiduum, & quidem fere per septem dies sine singulari incommodo, & absque symptomatibus gravibus vivere potuit, *facile inde iudicare licet, alium, cui levius vulnus hepati inflictum est, diutius adhuc vivere posse*; easdem vero tamen ob caussas, ob quas ille octavo mortuus est, hic post nonum demum diem mori debere: quia sanguis tandem corrumpens & educi nescius vel viscera aggreditur & destruit, vel mali moris febrim putredine sua concitat, atque sic vel ob hanc, vel ob illam vel ob utramque caussam, læsum in cymbam charontis demittit. Vnde satis patere puto, *talia vulnera*, licet tarde mortem inducant, *tamen quia æger servari nequit, & necessario moritur, lethalia*

 esse

a) Vid. supra pag. 42.

esse atque merito haberi: quamvis diem nonum subinde supervivant. Vt enim venena tarde interficientia æque pro venenis habentur, ac illa, quæ brevi interimunt; ita & vulnera, quæ tarde interficiunt, æque lethifera habenda, ac illa, quæ cito id faciunt.

XC. Sic *si tantum vasa lactea in mesenterio, vel receptaculum chyli, vel ductus thoracicus vulneratur*, chylus sensim sensimque vel in ventrem infimum vel in thoracem effluit. Si in ventrem infimum, & vulnus externum vel in thorace est, vel in suprema ventris parte, effusum educi nequit; sed sensim corrumpitur, & ut modo diximus, eadem, qua sanguis, ratione vulneratum tandem e mortalibus eximit. Sin vero etiam ob vulneris dispositionem sive ex abdomine sive thorace eximi possit & revera etiam semel iterumque eximatur: tamen, quia perpetuo chylus e vasis suis prorumpit, corpori nutrimentum debitum (chylus enim corporis nutrimentum est) sic subtrahitur; hinc tandem ex nutrimenti defectu mori cogitur læsus. Proinde hoc vulnus necessario mortem post se trahit, etiamsi æger diu atque per plures hebdomades languidam vitam trahere possit. *Quia vero mors certa sine culpa ægri aut alterius inde sequitur, nulla arte evitanda, vulnus tale rectissime lethale habetur, licet læsi nonum diem diu supervivere valeant.* Ex his ergo fabulam de nono die in vulneribus satis abundeque cognosci posse, nullus dubito.

XCI. Verum enim vero WELSCHIVS, *ut sententiam* & præiudicatam opinionem *suam de nono die fortius tueatur*, contendit, *vulneratum*, si nono, aut post nonum diem moriatur, *non ex vulnere simpliciter; sed ex symptomatibus supervenientibus interire: vulnus enim, quando diem nonum, tanquam summum criticum superaverit, tum non amplius lethale esse.* Verum præterquam quod summus dies criticus figmentum anile & fabula sit, ut modo evicimus, multis quoque exemplis atque argumentis ostendimus, dari revera eiusmodi vulnera absolute lethalia, ubi vulneratus ultra nonum diem, &

qui-

quidem ſæpe diu ultra eundem vitam extendere poteſt, atque tamen ob vulnus mori cogitur.

XCII. Deinde, *licet etiam concedamus, vulneratos quosdam ex ſymptomatibus mori* ; quando tamen illa ſymptomata ab ipſo vulnere neceſſario proveniunt, & neque ab ægri, neque a medentis culpa, ut exempli cauſſa, effuſio humorum ex læſis vaſis lacteis, receptaculo chyli, ductu thoracico, veſicula fellis, ductu cholidocho, ureteribus, inteſtinis, hepate, liene &c. de qua antea egimus, quibus ars mederi neſcit, & ægri neceſſario, vel ſaltem frequentiſſime inde moriuntur, vulnus profecto lethale haberi debet, & minime pro non lethali, aut lethali per accidens venditari iure poteſt: quia neceſſario moriendum, & mors eſt inevitabilis. *Illa enim vulnera per accidens lethalia ſunt, quæ arte curari poſſunt, & alias plerumque curantur* ; verum ex gravi errori aut culpa vel vulnerati vel medentium ſymptomata ſuperveniunt, quibus æger interficitur. Contra, quando ſymptomata neque vulnerati neque curantium culpa, ſed ex natura prava vulneris oriuntur, atque experientia compertum ſit, eiusmodi vulnera utplurimum mortem ſequi, ratioque doceat, arte parum vel nihil in eis poſſe effici, illa vulnera merito ad lethalia, imo ad ſimpliciter & abſolute lethalia referenda eſſe arbitror ; quamvis etiam læſus vitam ultra nonum imo vigeſimum diem extendat.

XCIII. Cum igitur hæc Welschii & vulgi ſuperſtitio, aut falſa præiudicataque opinio *homicidarum patronis & defenſoribus anſam ſolum præbeat inutiliter altercandi*, iudicemque in his rebus facile confundat, & glaucoma obiiciat, ut hoc modo frivoli ac malitioſi homicidæ a iuſta ac promerita pœna facile abſolvantur, iuſtitiæ iuſtæque Dei vindictæ intereſſe puto, *ut falſa hæc atque inveterata de nono die opinio, aut rectius fabula & error, cum ex Medicina, tum ex Iurisprudentia relegetur atque exterminetur*, & ut ſecundum veram vulneris conſtitutionem & naturam ſectione accurata deprehenſam, iudicetur ac ſententia pronuncietur.

XCIV. Attamen hoc ſaltem adhuc monebo, quod, *licet*

Iurisprudentiæ ſtudioſis tam multa ex Medicina ſcitu eſſe neceſſaria dixerim, ea tamen tam difficilia non ſint, ut a prudentibus & diligentibus, ſi apta methodo doceantur, diſci non poſſint. Nam ſtudioſus Iuris cum ad ſanitatis, tum ad vulnerum aliorumque caſuum medico-legalium negotium bene perſpiciendum, ut rectiſſime monet THOMASIVS, a) non indiget ſcientia perfecta totius anatomes & medicinæ, multo minus opus eſt, ut rebus ſubtilioribus addiſcendis multum ſe angeat atque torqueat; ſed ſufficit, ſi ex anatome ſciat viſcerum ſive partium internarum atque vaſorum ſanguiferorum notabilium nomina, ſitum, uſum & ad vitam neceſſitatem; itemque partes generationi dicatas, cum fœtus & partus hiſtoria. Ex oſſibus vero, muſculis & nervis, (quæ tamen maximam & difficillimam anatomes partem conſtituunt,) pauca ipſis ſufficere poſſunt; quæ diligenti non adeo difficilia ſunt, ſed paucis ſane menſibus addiſci queunt. Sicut deinde & ea, quæ ad ſanitatem proprii corporis conſervandam ſcitu ſunt neceſſaria, non adeo multis præceptis includi poſſunt: quemadmodum illi, qui periculum huius rei facere volunt, facile intelligent; qui ſimul percipient, rem tanti momenti, tantæque, tam ad ſanitatem, theſaurum noſtrum poſt animam maximum atque pretioſiſſimum, curandam, quam ad caſus medico-legales rite intelligendos, rectiusque decidendos, utilitatis, ut ſerio meliusque quam adhuc factum eſt, a ICtis præſtantioribus attendatur, operæ pretium eſſe.

XCV. Plura quidem de utilitate Medicinæ in Iurisprudentia proferre poſſem: ut de *venenis, philtris, tortura ſubiiciendis, abortum concitantibus* aliisve ſimilibus rebus, quæ in foro e Medicina lucem deſiderant: verum hæc pro ſpecimine nunc ſufficiant.

a) Cautel. circa præcognita iuris cap. XVIII.

CONTENTORVM INDEX.

26. exemplo alio, ubi duo tertium diverſiſſimis gladiis occidebant, non niſi ex inſpectione, quis lædens fuit, cognoſci poterat, probatur.
27. deinde exemplo, ubi duo diſtinctiſſimis ſclopetis tertium invadebant, ab unico vero globo plumbeo interficiebatur.
28. In iis, *qui mortui reperiuntur, inſpectio cadaveris neceſſaria eſt*, ut morbo, an morte violenta perierit, cognoſcatur: ut, ſi interfectus, in homicidas inquiri poſſit.
29. exemplum malum *neglectæ inſpectionis* in eiusmodi caſu refertur.
30. qui ex *ſuſpicione veneni dati* moriuntur, eorum cadavera neceſſario examinanda: concluditurque, inſpectionem præcipuum verum inveniendi eſſe remedium.
31. *in infanticidio ſuſpecto* cadaveris inſpectionem abſolute neceſſariam eſſe demonſtratur.
32. 33. quid his in caſibus a ICtis & Medicis notandum, indicatur.
34. 35. ſpeciatim *quid pulmones fœtus* vel natantes vel non natantes ſignificent.
36. ICtis ſcientia anatomica eiusmodi in caſibus, ut & ubi de *funiculo umbilicali non ligato* agitur, valde neceſſaria eſt.
37. anatomen callens patronus cauſſæ ream infanticidii ſuſpectam optime defendit, & ſic eam a pœna mortis liberavit.
38. Vbi de *virginitate, ſterilitate* & *impotentia* lis oritur, ICtis anatome ad cognoſcendum & decidendum multum prodeſt.
39. ita & *in legitimo partus tempore*.
40. in *puniendo abortu* provocato.
41. *quod fœtus perfectus in matre extincta non mox moriatur*, ſed ex gravida mortua vivus excindi poſſit: teſte lege Regia Digeſtor. L. XI. Tit. VIII. de mort. infer. & ſepulchr. ædific.
42. hanc legem ſanctiſſimam a ICtis ob neglectam Medicinam multorum innocentium infantum interitu ubique negligi.
43. multis adhuc aliis in rebus ICtis Medicinæ notitiam prodeſſe.
44. quod *exemplo lochiorum* a terrore obſtructis, & inde ſecuta morte manifeſtatur. Deinde
45. an virgo ſive femina *primo concubitu imprægnari poſſit*, porro
46. *an lac in mammis* in femina cælibe ipſam peperiſſe doceat.
47. an membrana virginitatis *hymen* exiſtat.
48. ICti Medicinæ gnari inde norunt, *non imperitos, ſed peritiſſimos medicos* ad inſpectiones caſuum medico-legalium advocandos eſſe.
49. *nunquam ſoli chirurgo aut balneatori* eiusmodi gravia negotia a ICtis hodie committenda eſſe.
50. quia ſæpiſſime anatomen non intelligunt, & ne terminos quidem anatomicos enunciare aut ſcribere valent; multo minus in ſecando aut iudicando exercitati ſunt.

51.

51. ICti Medicinæ cognitione instructi, *acta in eiusmodi rebus ad peritissimos medicos transmittenda esse* cognoscunt.
52. & ubi *Medici circa vulneris lethalitatem non conveniunt*, eis fidem esse habendam, quorum scientia in rebus anatomicis & chirurgicis magis est perspecta.
53. mitiorem sententiam ICtis, teste *Thomasio*, non semper his in rebus esse amplectendam; verum hæc præiudicia ex sana ratione & prudentiorum experientia corrigenda & abroganda esse.
54. neque illo axiomate, *præstare decem nocentes absolvere, quam unum innocentem condemnare*, abutendum esse, ubi periti vulnus mortiferum, imperiti illud non mortiferum iudicant.
55. hac fraude caussarum patroni pessimos homicidas sæpe a pœna mortis liberant.
56. *aliæ horum fraudes* in hoc negotio deteguntur, a iudicibus observandæ.
57. præsertim si casus mutilatos, rebus sive circumstantiis primariis omissis, referunt.
58. *quænam vulnera merito lethifera* habenda?
59. proponitur quæstio, *utrum iudex medico, qui vulneratum curavit*, cadaveris inspectionem committere, an, ut *Bohnius* vult, alii eam concredere debeat.
60. *Bohnii* intentio quidem laudatur; verum gravibus rationibus docetur, Medico curanti certis cautelis inspectionem committendam, vel saltem eum ab inspectione non excludendum esse.
61. id quod exemplo manifestum redditur, &
62. 63. uberius exponitur.
64. quid faciendum, ut *Bohnii* metus evitetur? *alios medicos* simul ad inspectionem adhibendos esse.
65. & coram his omnia perspicue pervestiganda: quod quo modo quibusque artificiis id factum sit a præside.
66. 67. & 68. describitur.
69. a Medicis præsentibus deinde relatio vulneris, ut id repertum est, subscribenda.
70. an opus quoque sit, *ut chirurgi vulgares relationes de vulneribus subscribant*, ut multi ICti putant? Negatur, propter imperitiam plerorumque.
71. *absente medico curante, peregrinus medicus in inspectione vulneris multa necessaria facile prætermittit*, ob ignota symptomata, quæ ægrum afflixerant.
72. iudex periculum, quod *Bohnius* metuit, pluribus medicis adiunctis optime præcavere potest.

73. laudandus hinc *mos maiorum, urbium* ubi ſemper plures medici ad cadavera luſtranda mittuntur, qui & ſimul relationem maioris fidei cauſſa ſubſcribunt.
74. in minoribus autem urbibus medico, qui curavit, adhuc alius peritus addatur.
75. *nunquam vero Medicus, qui curæ præfuit, ab inſpectione excludendus*
76. Medicis in *anatome peritiſſimis* merito inſpectiones eiusmodi committuntur.
77. Error popularis eſt, dum multi credunt, vulnera illa non eſſe lethalia, *ſi vulneratus ultra nonum diem vivat.*
78. falſæ doctrinæ de *diebus criticis*, vulgo dictis, ſententiam eam ſuperſtrui demonſtratur.
79. Nonnulla vulnera ſua natura cito, alia tarde mortem inferunt.
80. *Sufficit ad lethale eſſe*, ſi æger curatione rite inſtituta, ſervari non poteſt, *& ob vulnus ſine ſua vel alterius culpa moritur*, licet id cito aut tardius fiat.
81. exemplis illuſtratur.
82. *inprimis valor noni diei* uberius infringitur; nam contrariatur ſacris litteris & rationi.
83. ICti monentur, ne præiudicio aut errore hoc ſe ſeduci patiantur.
84. *Licet pars nobilis non ſit læſa, tamen vulnus poteſt eſſe lethiferum:* Sufficit ſi læſus moriatur ſine culpa vel ſua vel alterius, & reſtitui non potuerit.
85. quamvis *nonnulli a gravibus vulneribus curentur*, tamen non ſequitur, quod omnia illius partis vulnera ſint ſanabilia, aut pro non lethalibus habenda ſint, cum curatio ſæpe caſu fiat, non arte.
86. exempla vulnerum lethiferorum, *ubi ægri diu ultra nonum diem* vixerunt.
87. rationes quare ſæpe tardius mortem inferant.
88. & quare tamen certe mortem inducunt.
89. ergo *tarde interficientia etiam mortifera habenda*, licet nonum diem ſuperent.
90. *vulneribus vaſorum lactiferorum* res uberius dilucidatur.
91. opponitur, vulneratos poſt nonum diem non ex vulnere, ſed ex ſymptomatibus mori.
92. refellitur & hæc opinio.
93. *fabulam noni diei* & in univerſum dierum certorum criticorum e Iurisprudentia & Medicina eliminandam eſſe evincitur.
94. Cum tam multæ utilitates e Medicina in Iurisprudentiæ ſtudioſos redundent, monentur, ut e Medicina, quantum ipſis opus eſt, addiſcant, indicaturque, illud diligentibus non adeo fore difficile.
95. concluſio.

NOBI-

NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE CANDIDATO

IO. MARTINO STARCKIO

S. P. D.

LAVRENTIVS HEISTERVS.

QVadriennium nunc est, quod venerandus Tuus Parens Te Tuaque cœpta studia medica mihi de meliori nota commendaret: atque ab illo, quo ad nos huc venisti tempore, meæque curæ & informationi Te totum tradidisti, omnem operam impendi, ut ad solidam Medicinæ, cui Te addixeras, cognitionem & scientiam viam Tibi monstrarem aptissimam atque optimam. Et licet antea Giessæ in Hassorum Academia iam aliqua artis medicæ præcepta & prima quasi rudimenta hausisses; tamen ut hæc tanquam fundamenta firma altius menti animoque imprimerentur, omnia a principio ad institutionum medicarum ductum repetenda, atque deinde sensim sensimque omnes Medicinæ partes Tecum solide curateque ita pertractandas esse duxi, ut earum adminiculo ad rationale atque felix Medicinæ faciendæ exercitium pervenire recte possis. Interfuisti præterea etiam intra hoc quadriennium meis scholis tam diligens atque assiduus auditor, ut quod vere testari possum, vix unicam mearum prælectionum atque exercitationum horam neglexeris. Vidisti simul interea multorum cadaverum humanorum a me institutas sectiones,

 ma-

manusque ipse sedulo iis admovisti, ut veram corporis humani cognitionem, tanquam firmissimum artis salutaris fundamentum, Tibi comparares. Vidisti etiam quamplurimas operationes, ut vocant, chirurgicas, quas non solum in cadaveribus sæpius demonstravi & docui; verum etiam in ægris sive viventibus, Te sæpius iuvante, gravissimis in morbis perfeci. Vidisti quoque, me duce, multos ægros internis externisque morbis decumbentes, & qua ratione secundum præcepta a me tradita victu atque medicamentis curandi curatique fuerint. Vidisti denique etiam, legisti, scripsisti, atque collegisti multa consilia medica, quæ tam in vulgaribus & popularibus, quam etiam in rarioribus gravioribusque morbis, haud mediocri studio, pro omnis generis & dignitatis personis, imo & in casibus forensibus elaboravi atque impertivi. Quibus omnibus tantam utriusque Medicinæ notitiam & exercitium Tibi comparasti, ut communi carissimæque patriæ nostræ, multisque ægris arte medica quam utilissima officia nunc præstare valeas. Fac igitur, quod toto pectore opto, ut quemadmodum venerandus Parens Avusque ecclesiam patriam valde ac diu ornarunt, multarumque animarum saluti gnaviter soliciteque prospexerunt; ita Tu, mi Starcki, multorum ægrorum corporali saluti, id est, sanitati egregie feliciterque consulas, atque honorem & gloriam honoratissimæ spectatissimæque familiæ imposterum quoque tuearis, conserves, augeas, provehas. Vale.

1(9)